Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Joachim Oelhaf

De Seminario Pestilenti Intra corpus vivum Latitante Disquisitio Physica & Medica

Dantisci: Rhete, 1626

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0001
DFG

#

„Lib. 2 Jag 32 regul Joch Eled
AB de duo, & gde ff nuc[illegible] mi
„ cā j &c

8945



68 A 2776 (5[illegible])

Rep. XXXV. 3. no 57.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0002
DFG

UB Rostock
28$ 005 644 976

Medic. 32.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0003
DFG

DE
SEMINARIO PESTI-
LENTI

Intra corpus vivum
LATITANTE

DISQVISITIO

Physica & Medica

AUTORE
JOACHIMO OLHAFIO,
Medico Physico
DANTISCANO.

DANTISCI
TYPIS GEORGII RHETI,
Anno Christi
cIↃ IↃC XXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0005
DFG

DE SEMINARIO PESTILENTI

DISQVISITIO

Physica & Medica

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0006
DFG

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE

PRINCIPI, AC DOMINO,

D. SIGISMUNDO III.

DEI GRATIA, REGI POLONIÆ, Magno Duci Lithvaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ:

NEC NON

SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE HÆREDITARIO REGI &c. &c.

DOMINO CLEMENTISSIMO

EXercitationum mearum ſpecimen, de contagio peſtilenti, REX SERENISSIME ac POTENTISSIME, ut in lucem proferrem, SACRÆ REGIÆ MAJESTATI VESTRÆ nuncupatum, Ejusdemq; ad aras, votivæ inſtar tabulæ appenſum, duæ præcipuè impulerunt me cauſæ.

Una, quod peſtilens conſtitutio luſtri jam uniùs decurſu quaſi continuò nos devinctiſſimos S. R. M. Vtæ ſubditos affligens, non parum incrementi ceperit ſingulis annis, temerario quodam concurſu hominum è locis infectis cum aliis ſalubrioris auræ incolis; ne dicam de imprudentiâ, vel potiùs malitiâ, in advehendis mercimoniis mephitim peſtiferam redolentibus: Cui quidem malo, tanquàm

quam morbo epidemio, vix aliquis in hoc Regno medebitur, aut mederi valebit, præter Celsissimum S. R. M. Vræ Numen; quod nunc in amorem patriæ institutâ diascepsi submissè & ardenter implorare gestio.

Altera, quod primitiæ fructuum jure naturali debeantur iis, quorum & Marte invictissimo tellus ab hostilibus incursionibus sarta tecta conservatur, & benignissimo Sole Favonioq; semina cùm telluri committuntur feliciter, tùm commissa ad justæ maturitatis frugem usq; conservantur, educantur, perficiuntur: quod itidem, quicunq; frugiferam huic nostræ patriæ navant operam, Soli Regiæ Majestati Vestræ mecum ultrò acceptum referunt.

De me autem cumprimis id reticere ampliùs nequeo, quod annis jam ab hinc triginta, cùm è Germaniæ Academiis Italiam, Philosophiæ & Medicinæ circulum absolvendi gratiâ, aditurus, Cracoviæ Aulam S. R. M. Vræ, ductu Excellentiss. D. Joan.-Bapt. Gemmæ Archiatri, per aliquot æstivos menses frequentarem, florem juventutis meæ Regali isto jubare benignissimè perfundi, & ad fructûs in arte Medicâ ferendos blandissimè expandi, auspicato prorsus omine, persenserim. Ab eo tempore postquàm succum & sanguinem primâ ætate hausturn exterarum Nationum calori percoquendum exposui, hîc item Dantisci in alienarum miseriarum theatro versatus, annis jam quinq; supra viginti Poliatrum, & non paucioribus multò Professorem, egi, quicquid observando & meditando profeci, idipsum, splendore S. R. M. Vræ præfulgente, eam videtur nunc acquisivisse maturitatem, ut inde fructûs aliqui, nî fallor, in hominum societatem depromi queant.

Horum igitur prima decermina S. R. M. Vræ jure merito ut debentur, sic obsequiosè nunc offerre instituo,

humilimè

humilimè rogans obsecransq́; ut inter victrices suas laureas & triumphales de tot Christiani nominis patriæq́; hostibus exstructos arcûs, hoc quoq́ mei erga SE cultûs monumentum exstare velit. Omnino autem volet, si munusculum hoc chartaceum Serenissimâ admiserit fronte, adeóq́ offerentis conatum potiùs, quàm ejus quod offertur precium, respexerit, Cœlites imitata, qui, ut olim referebat Pythagoras, non tam rerum copiam, quàm offerentium animos spectare consueverunt. Nec sanè de asini umbrâ hicce meus est conatus laborq́, sed de re arduâ pariter ac summè utili: quippe cum pestilens contagium, cujus de seminario præsens instituitur diascepsis, non modò trivialem mortalium fecem ex improviso & truculenter prosternere soleat, sed & dextero Marte natos, & in supremo humanæ sortis fastigio constitutos. Quos inter, E ROMANORUM IMPERATORIBUS, MARC. ANTONINUM, recensent Capitolinus, Volaterranus, Cranzius; HOSTILIANUM PERPENNAM, Sextus Aurelius Victor; FLAV. CLAUDIUM, Cuspinianus & Zosimus; CONSTANTINUM MONOMACHUM unà cum uxore ZOE, Sextus Aurelius Victor & Volaterranus; LOTHARIUM, Sexti Aurelii Victoris appendix: E REGIBUS, DIV. LUDOVICUM FRANC. REGEM, Facellus, Peucerus, Joan. de Serres; (etsi sub nomine profluvii aut dysenteriæ id referant alii, funestioris scil: in peste symptomatis) & quidem cum JOANNE filio; nec non THEOBALDUM NAVARRÆ REGEM, cum conjuge ISABELLA, & novâ Reginâ ELISABETHA PHILIPPI conjuge, Paulus Æmilius, Joan. Tilius, Facellus; ALPHONSUM XI. Hispaniarum, Ritius, Santius, Mariana; CONRADUM Bohemorum, Dubravius; GODOFREDUM Hierosolymarum Regem, Paulus Æmilius. Extra hujusmodi verò periculi aleam sicut hucusq́ SERENISSIMI POLO-

NIÆ REGES omnes, per Dei omnipotentis singularem gratiam, fuêre conservati, ut SACRA quoq; REGIA MAJESTAS VESTRA, unâ cum SERENISSIMA REGALI PROSAPIA, constituatur; & sic orbi Christiano, Regnis, nobisq;, Tithoni ultra senectam, persistat incolumis, Eundem rerum omnium supremum Moderatorem corditùs precor; simulq; S. R. M. Vam suppliciter oro, ut me tot jam lustris in Practico stadio desudantem pariter, ac uberiori ingenii fœturæ, in præservandâ non minùs, quàm curandâ lue pestiferâ, (boni publici gratiâ) invigilantem, Potentissimo Suo Patrocinio complecti, subq; umbrâ alarum Invictissimarum adversùs omnigena fortunæ novercantis tela protegere, animum Clementissimè inducat. Dantisci anno Christi M. DC. XXV. pridiè Kalend. Novemb.

SACRÆ ET SERENISSIMÆ
VESTRÆ MAJESTATIS
REGIÆ

Subjectissimus obsequentissimusq;

JOACHIMUS OLHAFIUS
Philos. & Medic. D. Medicus Physicus
in Patriâ, & Gymnasii Professor.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0010
DFG

PROLOQUIUM.

UTilis & necessaria non minùs, quàm difficilis est disquisitio de Seminario pestifero latitante, prout ea nunc à nobis instituitur: Utilis, inquam, & necessaria, tùm Rebuspublicis, Civitatibus, Provinciis, Regnis, Imperiisq́, tùm rebus privatis, hoc est, vitæ & incolumitati uniuscujusq́ mortalium.

Rebus publicis, ne admittantur promiscuè homines aliundè adventantes, præsertim è locis infectis aut suspectis, qui non solùm extrinsecùs, ceu barbâ, capillitio, vestimentis, & mercimoniis, sed etiam intrinsecùs, hoc est, ipsismet partibus corporis viventis, mephitim pestilentiæ advehere secum, & insensibiliter propagare valeant, hocq́ pacto stragem inopinatam soulicamq́ inferre.

Incolumitati & vitæ uniuscujusq́, ut Ulyssea prudentiâ rem nostram agamus, crescente ob pestilentiæ cladem Libitinæ lucro, adeoq́ si forsan quidpiam pestiferum intra corpus admitti contigerit, idipsum alexipharmacis frequenter edomemus ac profligemus antè, quàm cordis penetralia & vitæ arcem subintret; Quin etiam ne deductionem ejus ad actum & motum versùs cor imprudenter promoveamus, sicq́ nobis ipsis, turdos imitati, malum & mortem creemus: Quod sanè haut paucos crassioris Minervæ homines infausto sidere peregisse experientiâ comprobatum habetur. Hos quidem objectis terrificis appropinquando, aut tale quid aggrediendo, unde periculum exoriri contigit terroris subitanei: cujus ratione seminarium pestilens aliquâ corporis parte susceptum, unà cum spiritibus & sanguine illicò versùs cor fuit abreptum, & sic pestilens morbus introductus. Alios animi excandescentiâ & irâ; quâ cùm partes corporis omnes, etiam minutissimæ, commoverentur, (ut patet ex tremore & titubatione earundem) sanguisq́ & spiritus versùs cor primùm contraherentur, mox rursum diffunderentur, motu quodam reciproco, facilè contigit halitum pestiferum aliquâ corporis parte à corde disjitâ admissum, ad cor unà deduci, cum periculo præsentaneo: quin etiam motibus istis spirituum contrariis & subitaneis incalescente corpore, pestilens seminarium vix potuit torpescere amplius, sed itidem incaluit & commotum fuit. Alios usu rerum calidarum, ut vini generosi, aquarum vitæ, quas vocant, aromatum & similium; quorum fervore non minùs excitari ac reviviscere contigit latitans alicubi in corpore contagium. Alios usu veneris, aut exercitio immoderato, aut quâvis aliâ sanguinem corpusq́ universum excalefaciendi aut exagitandi occasione.

Difficilis

Difficilis verò & Herculei fermè laboris videtur hâc de re esse ad amussim disquisitio, propterea quòd pleris̄ idipsum prorsus sit inauditum, & vix verisimile habeatur quamplurimis, seminarium pestilens rebus vitæ expertibus, ceu fomitibus, inhærescere diutiùs & propagari, nedum in corporibus viventibus circumferri & delitescere per aliquod temporis intervallum, effectu sensibili aut periculo prorsus nullo.

Quia ergò, quod dici solet, δύσκολα τὰ καλὰ, difficilia quæ pulchra; *Agerem hanc non solùm utilem, necessariam, & arduam, sed etjam satis pulchram, pro virili nostrâ, in amorem patriæ, & plurimorum hominum emolumentum, pertractandam ac dispiciendam suscipiamus: Duoq̄ cumprimis expendamus in præsentiâ.*

I. An seminarium pestilens aliquandiu intra corpus vivum latitare possit, citra noxam evidentem?

II. Quibusnam in partibus, & quâ ratione sic latitet?

DISQUISITIONIS PRIMÆ CAPITA.

1. *Sententiæ affirmantis Autores & experientia.*
2. *Pro eâdem ratio prima, à convenientiâ seminarii pestilentis cum aliis venenis.*
3. *Ratio secunda, à naturâ ipsius seminarii pestilentis quod immittitur.*
4. *Tertia ratio, à naturâ hominis, cui seminarium pestilens immittitur.*
5. *Quarta ratio, à modo immissionis.*
6. *Sententiæ negantis Autores & confirmatio.*
7. *Discursus I. Ant. Saraceni pro sententiâ negante perpenditur.*
8. *Argumenta aliorum pro sententiâ negante considerantur.*

DISQUISITIONIS SECUNDÆ CAPITA.

Quod latitare possit

1. *Circa superficiem corporis.*
2. *In ventriculo & locis circa ventriculum.*
3. *In venis & massâ sanguineâ.*
4. *In pulmone & partibus quibusdam vicinis.*
5. *In Cerebro & cerebello.*
6. *In Oculis.*
7. *In Auribus.*
8. *In Naribus*
9. *In Ore.*
10. *Intra partes aliquas privatim in fœmina.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0012
DFG

DISQVISITIO PRIMA
AN SEMINARIUM PESTILENS INTRA Corpus vivum aliquandiu, citra noxam evidentem, possit latitare?

CAPUT I.
SENTENTIÆ AFFIRMANTIS
Autores & experientia.

CUM quæstionis hujus parte affirmante jam pridem amico conspirarunt calculo, sapientiæ faculis latissimè collucentes Magistratus in Italiâ & regionibus aliis, dum non admittunt quempiam è locis suspectis aùt infectis adventantem, quin potius gravi constitutâ pœnâ ingressum subjectarum sibi ditionum interdicunt, constitutis ad id vigilibus industriis & inquisitoribus severis, non solùm prope urbes singulas oppidave, sed etiam ad extremos regionum fines, ne quis præter ipsorum voluntatem in ea se loca recipiat. Quod si autem admittendus quispiam

Lex Magistraruum in Italiâ & alibi.

piam videatur, Venetiis & alibi 40. dierum mora ei præscribitur, quibus ab Inquilinorum consortio sequestratus vitam agat in Lazaretho aut Xenodochio, ita tamen, ut necessaria ipsi suppeditentur per homines ad id ordinatos, totq; demum elapsis diebus, vestimentis dubio procul expurgatis, si non prorsus immutatis, in aliorum societatem admittitur. In eodem instituto, furentibus pestilentiæ Harpyiis, perdius & pernox desudat ibidem Magistratus sanitati præfectus cum illis, qui ab eadem lue convaluerunt in Lazaretho, quod vocant, veteri, eos nempe 40. diebus transactis devehi curans in Lazarethum novum, nec inde dimittens, nisi totidem rursus diebus elapsis; ut & cum iis qui infectis adfuêre aut ministrarunt, siquidem & isti non minùs in eundem locum se conferre jubentur, tempusq; præfinitum inibi transigere, antequam in benè valentium conversationem admittantur. Quorsum verò tot non jam dico dierum, sed hebdomadarum mora, nisi intra corpus vivum, etiamnum sanum apparens, latitantis veneni pestilentis adsit suspicio? cum vestes expurgari aut abjici, corpusq; universum elui primo statim adventu sit facilimum. Quemadmodum igitur aliàs sæpe, ut dici solet, ex malis moribus bonæ leges ortæ sunt; ita talia infortunia (hominum scilicet è locis infectis advenientium, integrâ sanitate quoad sensum, in quibus se posteà pestis exeruerit) per experientiam à viris prudentissimis observata, ejuscemodi constitutionibus ansam præbuêre. Nec sanè inauspicato eventu: siquidem compertum habetur in Italiâ (ut alias regiones nunc silentii conopeo involvam) hanc dubio procul ob causam pestem rarò admodùm grassari, sicut Venetiis & in vicinis Italiæ locis jam ab anno 1576, spacio scilicet exacto 49. annorum, nullius pestis sese exeruit vestigium: cum contrà apud nos ea frequenter stragem inferat (externis fomitibus potiùs quàm intra corpo-

corpora viventia huc advecta, nemo asseruerit) ut hic Dantiſci quartâ jam vice intra quinquennii decurſum, Anno nimirùm 1620. 1623. 1624. & 1625. quam præceſsêre aliæ quoq; conſtitutiones peſtilentes, Año 1601. & 1602. 1587. & 1588. 1579. & 1580. 1563. & 1564. 1555. 1549. 1533. 1531. 1529. ne longiùs repetam ſeculis præcedentibus inflictarum calamitatum iliada. His verò Italiæ & aliarum Regionum Magiſtratibus ad talem experientiam inſtituendam, legesq; condendas utiliſsimas, facem haud dubiè prætulêre, tùm Autores alii, inprimis Hiſtorici fide digni, tùm Medici & Philoſophi eminentiſsimi, ſuis itidem rationibus & experientiis ſubfulti.

Cõfirmatur experientiâ & autoritatibus.

Quod ad Hiſtoricos: multorum inſtar erit in præſentiâ Evagrius, rerum Eccleſiaſticarum ſcriptor authenticus Lib. 4. hiſt. Eccleſiaſt. C. 28. peſtem deſcribens, quæ annis 52. quaſi continuò grasſata eſt per totum terrarum orbem, & Antiochiam, biennio poſtquàm à Perſis capta eſſet, quoq; invaſit; In quâ, ſi qui fortè Urbium infectarum incolæ ad alia loca, quæ morbus ille minimè invaſerat, demigraſsent, iſtos ſolos teſtatur morbo hoc fuiſse oppreſsos, ſalvis ſcilicet remanentibus aliis. Ei conſentiens Spectatiſsimus inter hiſtoricos præcedentis ſeculi Carolus Sigonius Lib. 17. Imper. Occid. hæc itidem profert: *Anno ſalutis 532, qui fuit Imperii Juſtiniani quintus, novum peſtilentiæ genus Orientem invaſit, à Græcis bubonis, à Latinis inguinariæ dictæ, quæ orta in AEthiopiâ, ſenſim inde totum terrarum orbem pervaſit, quibusdam Civitatibus ità proſtratis, ut prorsùs exhauſerit: quibusdam verò ita affectis, ut afflatu tantùm ipſo terruerit, nullâ certâ ratione, neq; in adoriendo, neq; in dimittendo ſervatâ. Nam alios ineunte hyeme, alios ſeneſcente vere, alios adultâ æſtate aut autumno, invaſit: atq; in quibusdam oppidis domos omnes attigit, in quibusdam nonnullas: quæq; familiæ priore anno integræ fuerunt, ſolæ ſequenti*

1. Hiſtoricorum Evagrii.

Sigonii.

contabuerunt. Quin etiam sæpè qui ex infectis urbibus evadebant *postquàm inter sanos venissent, soli peribant.* Ib. Sigon. Quod si igitur ñ soli aliquando in locis salubribus moriebantur, qui ex infectis urbibus se subtraxerant; Age percontemur, *Nùm in vestimentis duntaxat aliisq; externis fomitibus, an verò intrà corpora viventia secum devexerint pestis seminium?* Prius pro comperto haberi nequit, siquidem vix verisimile videtur, in toto Oriente non fuisse repertos aliquos adeò sagacis ingenii homines, tot annorum periodis, quibus pestis illa grassata est, totq; periculis insuper edoctos, ut externa illa pestilentiæ fomenta probè eventilanda sollicitève expurganda sibi sumerent, antequàm loca sana adirent. At ponamus, etiàm posthabitâ expurgatione tali, eos sic aliò immigrasse, nondùm succurrit ratio, quamobrem, cum antehac in loco infecto iis non minùs quàm nunc obversarentur contagiosi illi fomites, & quidem nullo pacto eventilati, sed potiùs majori contaminationis periculo objecti, qui insuper timore assiduo, animiq; consternatione cordi contagium potuissent præsentius reddere, noxam tamen haut intulerint? Cur contrà in itinere aliquâ ex parte ventilati, iisdem hominibus à solicitudine pristinâ liberioribus, & loci, quem inhabitare incipiunt, salubritate novitateq; aliquomodo refocillatis, nunc demùm internecionem minitentur inferantq;? Cur deniq; illos potiùs afficiant iidemmet fomites, qui contagio sunt jam assueti, cùm ab assuetis aut nulla aut saltèm tardior sit passio, ut Physici docent, quàm alios nondùm assuetos & in salubriore hactenus aëre commoratos, taliumq; advenarum occursu quadamtenùs perculsos? Horum quia vix ratio potest reddi, inferendum videtur, seminaria pestifera in viventibus corporibus eorum hominum, quorum meminêre Historici, eò usq; asservata, hoc demùm tempore viribus propriis recollectis intensisq;, spiritu

autem

autem vitali corporum humanorum sensim attrito & latenter oppugnato, actionem suam in apertum protulisse, cùm præsertim excitari potuerit ad agendum, seu à naturâ hominum aliquomodo, ut dictum est, refocillatâ, seu etiam motu itineris, ut patebit é discursibus præstantissimorum Medicorum jàm jàm proponendis. Quod ergò ad Medicos & Philosophos: Eos inter eminet Consummatissimus Medicus simul & Philosophus Marsilius Ficinus Florentinus in antidoto epidemiarum anno 1479. editâ, Cap. 28. M. in 8. p. 371. hunc in modum discurrens: *Si verò petis, inquit, per quas vias intret venenum? Respondeo per omnes corporis poros, maximè qui magis aperti: citiùs autem offendit, quando per nares, per os, perq́ pulsus ingreditur, & multò quidem fortius, si vias adinvenerit in calidis, humidis, subtilibusq́ apertas humoribus, & si quoq́ à similibus provenit humoribus, sicq́ influentia Martis cum diverso evenit, & modo contrario, cumq́ Saturnio influxu se quidem eò tardiùs demonstrat. Multoties immanet vestibus diu & cute viis patentibus, & venis cordi propinquis, nec inde quisquàm gravari videtur, quia pauculus est leviscq́ vapor, nec eam habet cæteris, ut cordi, partibus contrarietatem, sed ipsi tantillum quam primùm cordi contiguum efficitur, manifestè non occultè lædit. Similiter rabidi canis venenum, nec non & alia, suam longo etiam pòst tempore detegunt offensionem. Hoc deniq́ scias volim, quod scilicet per bimestre spatium remanet venenum in personis, &c.* Hact. Ficinus. Quibus verbis non modò confidenter asserit, venenum pestilens intra corpus latitare tot hebdomadibus, sed etiàm rationem ejus assertionis proponit, ac modum, quo intra corpus vivum latitare possit citra noxam cordi communicatam. Huic autem adjungo istos Medicos, quorum secundo ab hinc seculo itidem meminit Nicolaus Florentinus in operibus suis anno 1491. editis, Cap. de præservatione à pestilentiâ in genere, qui consulebant hominibus, in loco aliquo infecto

2. Medicorum.

Marsilii Ficini.

Medicorum tempore Nic: Flor:

per aliquod temporis intervallum jam commoratis, ne inde se subriperent in aërem salubriorem, sed manerent potiùs in infecto: propterea quòd tùm experientiâ multorum haberetur comprobatum, eos qui salvi & incolumes anteà vixissent in aëre infecto, tunc demùm peste fuisse apertè correptos, postquàm in salubrem aërem deveniſſent; tùm ratione tali experientiam confirmante, quòd natura hominis, qui ex aëre infecto in salubrem transfertur, aëre hoc novo velut refocillata & excitata insurgat contra materiam malam, quæ jam est in corpore sano, contrà quàm in aëre infecto velut victa & succumbens non insurgebat, tunc̃q materiam illam commotam à naturâ irritatâ fortiùs moveri adversus naturam hominis, eam̃q devincere ac interimere. Quo quidem discursu apertè convincitur, judicio Medicorum præcedentium seculorum, contagium pestilens è loco insalubri in salubrem, citrà manifestam sanitatis jacturam, intra corpus deduci ac propagari.

Iisdem proximè nos præcedente seculo assensum
Joh. Bapt. Montani. præbuit Johan. Bapt. Montanus in lection. de pestilentiâ Cap. 29. (p. 429. exempl. Basil. edit. in 8) Ibi enim cum movisset quæstionem, *Quî fieret, quòd homo sanus recedens à loco pestifero, si accesserit ad locum sanum, peste pereat?* Respondet, *Fortassis id evenire, quia dum homo ille versatur in loco pestifero, multos intrà se habeat humores, & quietos & malos, quos etiam natura aggrediebatur quidem debellandos, sed sensim & occultè, ob magnam resistentiam patientis, & quia humores quiescunt etiamnùm, nec ex toto sunt putrefacti: Interim est dispositus ut sensibiliter ægrotare incipiat. Quando autem in isto termino constitutus homo pestem fugere instituit, humores motu itineris agitati incalescunt magis, præsertim si fuga fiat in locum calidiorem, hacq̃ de causâ putredo humorum incrementum capit. Calore igitur naturali seu innato contrariam sibi dispositionem putredinalem fugiente, & introrsùm recedente, contingit simul hu-*

mul humores putridos excalefactos & attenuatos ad cor impetu quodam præcipitari, & inibi putrescere magis, unde homo sensibiliter ægrotare incipit. Ecce statuit Montanus. 1. Hominem in aëre pestifero etiamnùm versantem, continere in se humores pravos, pestilenti scilicet qualitate infectos. 2. Quod eos natura illicò etiàm aggrediatur, sed lentè & occultè. 3. Quod tandem commotis iisdem humoribus in apertum erumpat lues pestilens.

Eandem sententiam iisdem ferè verbis, quibus Joh. Bapt. Montanus, protulit, Andreas Gallus Tridentinus in fasce aureo de peste lib. 5. Cap. 23. Andr. Galli Trident.

Sed & idem tuetur eminentissimus Germaniæ nostræ Philosophus & Medicus, Thomas Erastus in epist. 23. ad Johannem Cratonem Medicum Cæsareum, *Nullo modo*, asserens, *probari posse, contagium pestiferum tùm demùm esse receptum, quando efficientiâ suâ se manifestum fecit: Ego verò*, inquit, *non concedo, in puncto temporis vel spiritus vel humores vel corpus cordis putrescere. Nec est aliquis unquàm statim ab hausto seminario mortuus, etsi alii breviore tempore, postquàm apud infectos fuêre, vim contagii senserint. Sæpè multis antè diebus contagium intra venas latuit, quàm sese proderet. Nec otiosum tamen interim fuit, sed latenter humores corrumpendo sensim ad cor usq; penetravit. Usu venire hoc maximè solet, cùm per alias corporis partes subit, non per inspirationem ad cor deducitur. Hinc est, quòd in quibusdam antè febris exortum*, hoc est, *antequàm putrida lues ad cor pervenerit, tùm anthraces, tùm pestiferi bubones pronati sunt. Non minus profectò incertum est, quando humores aut spiritus inquinare ceperit contagium, quàm obscurum nobis est, quando in aliis febribus humores incipiant corrumpi, &c.* Et paullò inferius: *Summa est*, inquit, *nullâ vel ratione vel experientiâ probabitur, contagium pestiferum tunc demùm esse receptum, quando efficientiâ suâ se manifestum fecit.* H. Erastus. Th. Erasti.

Thomæ Erasto suffragatur Johannes Crato Medicus Cæsareus in Tractatu Germanico de verâ præcavendi & curandi Joh. Cratonis.

curandi febrim pestilentem contagiosam ratione, in Latinam linguam converso à M. Martino VVeinrichio, ubi hæc habet: *Hoc moneo, inter initia nonnunquam seminaria concepta adeò esse lenta, maximè in robustis corporibus, ut sæpè per aliquot dies vel hebdomadas lateant, antequàm cor verè oppugnent; sæpè frigus sentientibus ægris, interdùm calorem & dolorem quendam vagum inprimis circa emunctoria. Ideò hi, si cum infectis versati sunt, maturè separentur, exhibitis expulsivis iisq; quæ roborent, antequàm malum invalescat.* Inter Recentiores ejusdem sententiæ patronum egit Octavianus Roboretus Tridentinus in lib. de febri peticulari Cap. 19. hac verborum serie: *Mirandum non est, si non modò per multos menses interdùm, ut in morsu canis rabidi conspicuum est, seminarium (scilicet pestilens) sine ullâ manifestâ læsione delitescit, sed in ipsâ etiam sæviore peste permultos sæpè dies eodem modo occultetur, ut anno 1588. Constantinopoli mihiipsi, ut alios multos prætermittam, contigit. Quum enim apud Illustr: & Excell: Doctorem Legum D. Bartholomæum Pezzen Tridentinum, Cæsareum apud Turcarum Imperatorem oratorem meritissimum, agerem, forte fortunâ factum fuit, ut aliquot ejusdem famuli pestilenti morbo, qui ei civitati solet esse admodùm familiaris, inficerentur: quos ego, qui quidem novus in eâ Civitate eram, deq; grassante peste nihil audiveram, cùm aliquoties visitassem, detecto tandem morbo, qui à nonnullis occultabatur, ne, si quid labis ex eâ visitatione contraxissem, aliis familiaribus communicarem, ab eorum commercio in proprium cubiculum me subtraxi, rei eventum exspectaturus; Ubi quidem ad decimam usq; diem sine omni molestiâ permansi. Quùm verò tunc demùm omni me periculo liberum existimarem, nonnullisq; antidotis, theriacâ potissimùm optimâ Cayri confectâ, lapide Bezoar, bolo Armeno & hujusmodi nonnullis, præmissâ etiam aliquâ evacuatione, interim usus essem, jàm è conclavi exire decreveram: vixq; egressus eram, dùm in inguine dextro erumpentem bubonem pestilentem cepi persentiscere, qui quidem superveniente quoq; alio in altero inguine, ad extremum vi-*

Octavaini Roboreti.

mum vitæ ita me deduxerat ut jam de funere tractaretur. Dei Opt: Max: inprimis tamen, tùm ejusdem Illustr: Oratoris auxilio, curâ, diligentiâ atq; solicitudine, quæ illius summa est humanitas, atq; beneficentia, à tanto morbo fui liberatus. Ut summâ propterea cum ratione, in quâcunq; optimè constitutâ Civitate legibus sancitum sit, ut qui ex infectis peste locis veniunt, tamdiu ab aliis sequestrati seorsim teneantur, donec omnis contagiosæ infectionis suspicio sit abolita, quod in pestilentibus morbis ad summum quadraginta diebus solet evenire. H. Roboretus.

Diomedes item Amicus, Physicus Placent. in Tract. de peste cap. 34. suadet, ut ij quibus secedere animus est tempore pestis, illicò id faciant, ne fortè susceptum morâ aliquâ contagium secum deferant, idq; ipsum in aurâ salubriore demùm sese exerat. Et rationem hujus rei assignat, quod contagium homini paullatim insidietur aliquando, ac proinde ut ii qui à cane rabido morsi sunt, non statim, sed per aliquod temporis spatium elapsum, rabiem incurrunt, ita etiam hi, quibus venenum pestilens in loco infecto obrepit, non istic semper, sed in loco salubri, quem adiêre, pestilenti lue apertè corripiantur. Diomedis Amici Placent.

Josephus autem Quercetanus Galliarum Regis Archiater lib. 1. Alex. pest. c. 2. (p. 38.) considerans sententiam Marsilii Ficini superiùs propositam, hac de re sic statuit: *Si id à veritate minùs alienum est (quod scilicet statuit Ficinus) rigidam procul dubio illam Italorum legem imminuit, & imperfectionis arguit, quâ ii qui ex locis infectis ad ipsos adventant, 40. dierum spatio ante urbes degere coguntur, eò, quod nimirùm pestis venenum longè diutius* (per annum integrum, ut Quercetanus tribuit Ficino, qui tamen per bimestre duntaxat spatium asserit remanere venenum in personis M. p. 371.) *alicui citra ejus offensionem adhærere possit Causa autem hujus tenacis adhæsionis* (pergit Quercetanus) *ex jam dictis patére videtur. Materia namq; talis veneni est viscosa & glutinosa, Subjectum verò inhærentiæ, seu persona temperamenti* Joss. Quercetani.

frigidi, habitusq; compacti, venas habens angustiores & arterias, quàm ut venenum hoc tàm facilè eos subire queat. Interim tamen alteri personæ complexionis biliosæ, habitusq; rarioris, quæ poros latos & amplos habeat, ac per consequens ad sudores prona sit, per cohabitationem facilè communicabitur, nempe ob dispositionem subjecti recipientis. H. Querc.

Evangel. Quatram. De eodem Fr. Evangelista Quatrammus de Agubio in lib. de præserv. & curat. pestis cap. 6. sic loquitur: *Atrocissimum illud venenum adeò subdolum est, ut licet plurimæ ac varia ejus sint indicia ac signa pathognomica, quibus jàm in corpus id irrepsisse constet, nihilominùs tamen frequentissimè nos eludat, immò quantò interdum illud videtur dulcius, tantò magis evadit amarum & acerbum.*

Fel. Plateri. Idem disertè statuit magni nominis Medicus Felix Platerus Tract. 2. praxeos. c. 2. (m. p. 80.) *Verisimile esse,* inquiens, *quemadmodum reliqua venena in corporibus certis ab origine mundi innata hærent; sic & pestilens hocce venenum, non tantùm hominum corporibus qui jam peste ægrotant, sed & aliorum nondùm febricitantium, & in vestibus quoq; aliisve quibuscunq; delitescere posse, & de corpore in corpus, non solùm mutuo contactu, sed & intermedio aëre corpora hæc interveniente, & venenata illa semina ab uno suscipiente & in aliud derivante, transferri. Quod & virus pestilens, vel inspiratione attractum, cor mox afficit, febremq; in momento accendit: vel alioquin corporis aliquam sedem occupans, inde vel ad cor usq; inspiratione, vel per cæcas vias progressum, idem facit: vel illic aliquandiu subsistens nec ulteriùs propagatum, corpus infectum, nondùm tamen pestilenti febri laborans, reddit: à quo tamen vel proprium corpus, vel aliorum, nunc citiùs, nunc tardiùs, potest affici. Quæ & causa est, quod aliqui ab infectis locis in alia loca, ubi nulla est pestis, fugientes, illicq; aliquandiu hærentes, pòst multos sæpè dies peste primùm corripiantur, vel non correpti alios inficiant: Sicut & scortum, quod cum eo, qui lue venereâ inquinatus fuit, coïerit, ab eo nondùm ita infectum, ut eo morbo ægro-*

*tet, alios tamen deinde qui cum illo congrediuntur, eâdem luc inficere posse, experientia docet, Fernelius*q. *etiam testatur.* H. Platerus.

Excellentiss. item Daniel Sennertus in VViteberg. Acad. Profess. Med. Primarius lib. 4. de febr. c. 2. D. Sennerti. *Sententiæ*, inquit, *subscribimus eorum, qui semina pestilentiæ in corpore, antequàm vim suam manifestè exerant, non solùm dierum, sed & septimanæ unius at*q. *alterius spatio latere posse existimant. At*q. *ut id credamus, ne*q. *pro impossibili habeamus, inprimis illud nos movet, quòd videamus alia venena, antequàm in actum erumpunt, aliquandiu in corpore humano delitescere posse.* Et paullò inferiùs: *Ut verò ex his manifestum evadit, non impossibile esse venenum pestilens aliquandiu in corpore humano delitescere posse; Ita non pauca sunt, quæ satis docent, sæpius hoc ita contigisse. Nam non rarò accidit, ut peste aliquis corriperetur, qui tamen nullam omninò recentis infectionis causam dare potuit, sed confiteri necesse habuit, semina pestis sese ante plures dies excepisse. Testatur Octavianus Roboretus de febr. peticulari c. 9. sibi hoc Constantinopoli accidisse: Et idem in quâlibet pestilentiâ, ubi causa non primariò est in aëre, sed per contagium saltem pestis propagatur, observari potest. Sæpè enim accidit, quopiam in domo aliquâ peste extincto, licet reliqui in alia conclavia fugiant, & omnem supellectilem, quam infectam esse vel suspicantur, studiosè vitent, nihilominùs post aliquod temporis intervallum alium eâdem corripi. Immò observatum certis periodis, nunc 14. dierum, nunc plurium intervallo sese exseruisse hoc venenum. Immò & hoc observatum, quosdam saluti suæ fugâ consulturos, ex locis infectis in tutiora alia se contulisse, nihilq. supellectilis infectæ secum abstulisse, nihilominùs post temporis aliquod intervallum, peste, etiam in locis ijs, ubi tunc ea non grassabatur, correptos fuisse.* H. Senn.

Nec aliter sensit Reymund. Mindererus Reip. Augustanæ Physicus eminentiss. in lib. de pestilent. c. 4. (m. p. 51.) ubi postquàm de corporibus inanimatis, fomiti pe- Raym: Mindererus.

stifero suscipiendo & fovendo verba fecisset, in hæc tandemerumpit verba: *Sed & ipsi quoq; homines pestis fomitem circumferre ac propagare visi sunt: Unde Evagrius lib. 4 hist. Ecclesiast. c. 28. contigisse scribit, ut sæpè sani homines ex infectis regionibus in liberas abeuntes, easdem peste infecerint, eò quod venenum pestiferum in ipsis ceu in fomite delituerit. Nec mirum, posse venenosum ac morbidum quidpiam tamdiu incorpore occultari: cùm Galenus & Avicenna venenum canis rabidi morsu illatum per sex menses, immò per annum latere nonnunquàm posse tradat, quod ipsum Albertus Magnus duodecim, & Alpharabius Arabs per 40. annos clàm in corpore delituisse testantur.*

Math. Unceri. Album calculum addit Clariss. Matthias Untzerus in antidotar. pestil. anno 1621. edito, lib. 1. part. 1. distinct. 6. ita disserens: *Pestilens venenum licet summæ sit activitatis, & in oppugnando strenuissimè calore nativo miras obtineat vires, absurdi tamen nihil habet dicere, priusquàm læsionem sensibilem inducat, in corpore quietum delitescere posse, idq; more aliorum quorundam venenorum. Rabiosi enim canis venenum per 3. 5. 7. vel 9. annos, ut videre est apud Amat. Lusitanum cent. 7. in Schol. ad curationem 411. Palmarium in lib. de morb: contagios. Albertum Magnum lib: 7. hist: animal: c. 2. Immò interdum per duodeviginti, ut adnotavit Guainerius in Tract: de venen: & quod fidem ferè superat etiàm per 40. annos, ut tradit Alpharabius, in corpore humano latitare potest, antequàm vim suam exserat. Sic venenatus ac malignus humor, ex quo cancer generatur, sæpè longo tempore, sine singulari aliquâ noxâ quietus latet, antequàm cancer per septica vel corrosiva medicamenta adhibita exasperetur, vel ulceretur. Cur ergò idem de pestis veneno quoq; non affirmandum?* H. Untzer.

Herm. Follini. Idem denique prolixè satis comprobare intendit recentissimè divulgato opusculo Clariss: Hermannus Follinus Medicus Sylvæducensis, nempe in lib. cui titulus, Amuletum Antonianum, problem. 4. (p. 132.) idq; non solùm rationibus, quæ istic videri poterunt, & in progressu

gressu uberius à nobis proponentur, sed etiam historiis & exemplis albo lapillo dignis.

Nec sanè meam quoq; aut Nostratium hæc res subterfugere potuit experientiam in constitutionibus pestilentibus, quæ urbem hanc Dantiscanam quinis si non senis, jam vicibus invasêre, dum ego hic in patriâ Medicinam facio. Verè enim testari possum, istis temporibus nimis frequenter idipsum occurrisse, quod viri eminentissimi retulerunt verbis modò allegatis: Homines scilicet aliquos primâ fronte sanitatem præ se ferentes, ambulantes, utcumq; comedentes, dormientes, & munia consueta obeuntes, aut lassitudine quâdam in toto corpore, aut frigore & horrore correptos fuisse per intervalla, aliquando etiam sensisse calorem & dolorem vagabundum, præcipuè circa emunctoria, immò & vitam agentes hilariorem nihil horum omnium persensisse, quibus tandem pestis eruperit cum exitio miserabili; & levi quidem de causâ, nimirùm, ut in Proloquio hujus disquisitionis annotatum est, aliis terrore subitaneo, aliis irâ & animi excandescentia, aliquibus usu Veneris, choreis, equitatione, aliisve exercitiis fortioribus, unde contagium pestilens in corpore, jam pridem susceptum ac velut emortuum, excitari contigit ac revivisscere. Experientiâ propriâ.

Et ut laconismo utar, nec sim nimis prolixus in historiis aut experientiis propriis ab ovo usq; ad mala recensendis, inter alios ægrotantes anno 1602. 28 Septēbr. die mihi occurrit Civis Dantiscanus peste correptus, eâdemq; paullò post extinctus, ut notatum reperio in ephemeridibus meis practicis, qui antea octo hebdomadarum decursu, de periodicâ quâdam angustiâ circa cor, & calore præter naturam singulis aliquando noctibus, aliquando alternis, aliquando tertiâ quâq; nocte fuerat conquestus: dubio procul, quia latitans alicubi in ejus corpore

pestis seminariũ, radios inde per talia intervalla strinxerat versùs cor, donec tandem vitæ hanc arcem ex toto invaderet & expugnaret. Sed & anno 1624. elapso 23 Octo. obiit Civis quidam ætatis 40. circiter annorum, qui cum 8. præcedentibus hebdomadibus maculas gessisset subnigras in pectore, brachiis & tibiis cum quâdam somnolentiâ & febri tertianâ intermittente, jam verò immunis esset redditus à febri, itineri se commisit rerum suarum gerendarum gratiâ: In quo cum refrigeratus fuisset nonnihil, domumq; rediisset, superstites autem in eo quoq; essent maculæ subnigræ, quas aliqui agnovêre pro scorbuticis, & se labore quodam voluntario defatigasset impensiùs, febrim incurrit continuam pestilentem, cum bubone in inguine dextro & carbunculo.

Demum in constitutionibus pestilentibus, quod haut rarò homines, qui pro sanis habentur, suaq; munia consueta perficiunt, repentè concidant in compitis, & animam exspirent, non ideò fieri censendum est, quod tunc demùm quando concidunt, halitum pestiferum attraxerint, sed quod eum corporibus suis jampridem circumtulerint, citra sensibilem actionum læsionem, qui tamen subitò tandem cor & spiritum vitalem invadens hominem ex improviso prosternit & viventium consortio eximit.

CAPUT

CAPUT II.

PRO EADEM, RATIO PRIMA, à convenientiâ seminarii pestilentis cum aliis venenis.

PRæclarè meo judicio, Marsilius Ficinus Florentinus, cap. 1. Antidot. epidemiarum: *Sicut continuò, inquit, in terrâ nascuntur venena, ità etiàm sæpenumerò in aëre vapor venenosus.*

Quod enim pestis caussaliter accepta vel potius halitus pestifer, similis sit persæpè aliis venenis, seu mineralium, seu vegetabilium, seu animalium, rationi admodùm est consentaneum: quippe cum nihil obstet, quominus eædem possint esse caussæ generationis corporis alicujus venenati in aëre, quæ sunt in terrâ, materialis præcipuè & efficiens. Quâ de caussâ inter recentiores Josephus Quercetanus lib. 1. Alexic. pestis. cap. 6. (m. p. 148.) venenum pestilens cum napello & aconito scribit analogiam obtinere; quibus paullò post subjungit arsenicum, dubio procul imitatus Paracelsum lib. 2. de morb. tart. cap. 2. ubi pestem dicit esse de materiâ arsenicali; Vel potius ipso longè antiquiorem Marsilium Ficinum cap. 1. antidot. epidem. ubi vaporem pestilentem intra corpus humanum calcis vel arsenici qualitatem ait suscipere, cujus effectus est putrefacere, rodere, ardere intus & extrà. Excell. item Raym. Mindererus lib. de pestilentiâ cap. 3. (m. p. 31.) venenum pestilentiale modò dypsadis, modò viperæ, modò cicutæ, modò napelli, aut alterius exhibiti toxici naturam æmulari. Et paullò post: quæ veteres scriptores, Nicander, Dioscorides, Aëtius & alii de cerastis, phalangii, scorpionis, hæmorrhoidis

Pestem esse similem aliis venenis. Probatur.
1.
2.
3.
4.
5.

rhoidis & similium virulentarum bestiarum ictibus symptomata numerant, omnia aut plera'q; testatur in peste
6. conspici. Cui in hoc itidem consentiens Quercetanus loco citato (m. pag. 144.) *Fermè universa*, inquit, *doctorum cohors unanimiter asseverat, pestilentiale venenum non modò similitudinem, verùm & identitatem cum bestiarum virulentarum veneno habere: Unde & Galenus utrumq; venenum eodem alexipharmaci seu antidoti genere, theriacâ videlicet ac bolo, oppugnabat.* Quin immò ex ipsismet rebus venenatis ter-
7. restribus, sicut & ex ipsâ terrâ & aquâ', facilis quo'q; est exhalatio in aërem, qui ob id aliquando hominibus, aliquando aliis animalibus summè pernicios us, hoc est, pe-
8. stilens, redditur. Insuper experientia testatur, interventu venenorum deleteriorum pestilentes constitutiones aliquando aëri induci: sicut T. Livius lib. 8. decad. 11. anno mundi 3634. Romæ pestem excitatam esse narrat maleficio fœminarum venena coquentium & disseminantium. Apud Dionem item Nicæum legitur, Commodi Imperatoris tempore tantâ strage fuisse pestem grassatam, ut uno die duo millia hominum perirent, cujus origo inde fuerit, quod homines malefici mercede pellecti acus venenis quibusdam oblitas in alios conjicerent. Speciatim magis & quid recentiore hominum memoriâ contigerit, idem probat Quercetanus (*m. p.* 146.) hâc verborum serie: *Ipse quoq; in Sabaudia & quibusdam Helvetiæ locis, qui undiq; editissimis montibus circumvallantur, degens, ac inter alios Medicos in cognitione simplicium probè versatos evocatus, ad dijudicationem quarundam herbarum, quibus loca illa scatent, non tantùm à veneficis ad homines & bestias necandas, verùm etiam ad pestem tùm generandam, tùm ad ejus contagium evitandum adhibitarum, confessionem horum veneficorum judicibus factam, cum aliis meis collegis veram animadverti. Hæc illi confessione à diabolo se edoctos fatebantur, ut expressos napelli & aconiti probeq; permixtos invicem succos aliis quibusdam venenis*

(quo-

(quorum hoc loco mentionem facere, ut à proposito nostro alienum, sic minimè foret consultum) pernicioſisſimis admiſcerent, iisq; ſecundùm artem uterentur. Antidoti verò loco præſtantisſima quæ habemus alexipharmaca, ab eodem dæmone ſe accepisſe omnes ſummâ cum admiratione audivimus. H. Quercetanus.

9. Sed quod magis mirum, gignitur inſuper in corpore vivente, *ut Galenus docet*, venenum quoddam non abſimile illi, quod infertur ab animalibus venenatis, aut etiam per os aſſumitur, quod cauſſa eſſe poſſit febris peſtilentis. Sic enim 3. *de loc. affect.* 7. hiſtorias recenſens de duobus epilepticis ab affectâ tibiâ, non obſcurè approbat ſententiam Pelopis Præceptoris, *Non admirandum eſſe*, dicentis, *humorem in affectâ præter naturam corporis parte generatum, validam vim habere qualis pernicioſarum ferarum veneno inest.* Et paullò poſt de quodam à ſcorpione icto verba faciens, *Non impoſſibile eſt*, inquit de ſententiâ Pelopis, *in corpore ſimilem aliquam eſſentiam generari, non accedente cauſſâ extraneâ.* Rurſus 6. de loc. aff. 5. *Reliquum eſt, ut inveſtigemus*, inquit, *an in animantibus corruptio aliqua naſci poſſit adeò vehemens, ut veneni tùm qualitatem, tùm vires æquet: an id jàm medicis enodatum diſcuſſumq; eſſe videatur, qui hanc ſolent proponere quæſtionem*, utrum *propriæ ſint notæ veneni, nec ne? Nam qui maximè*, (in Græc. habetur κάλλιστα, *id eſt*, optimè) *videntur ſuper hâc ambiguitate diſputaſſe, ii eosdem fieri affectus concedunt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ in corpore ortum habet.* H. Galen.

Ad quæ loca Galeni Clariſs. Rodericus à Fonſeca tom. 1. Conſult. medic. 47. *Gignitur* inquit, *in corpore noſtro venenum quoddam non abſimile illi quod infertur à venenatis animalibus, & etiam per os aſſumitur, quod eſt cauſa omnis febris malignæ & peſtilentis. Id aliquando eſt de naturâ arſenici, aliquando napelli, aut aconiti, aut alterius pravi veneni, & eorum ſolet inferre accidentia, præſertim in peſte.* H. Fonſec.

Quin & verum venenum interno humorum vitio in corpore vivente generari posse, ex professo comprobarunt Excellentiss. Hercules Saxonia Paravinus, lib. 2. de phænigmis, & Gerardus Columba Messanensis lib. 1. disputationum de febri pestilenti. Ab istiusmodi ergò venenis extrinsecùs aut intrinsecùs primùm infecti homines, cum exspirationibus similibus aërem oppleant ac contaminent, sicq; ijs velut seminariis pestem propagent, nemini dubium esse potest, quin seminaria hæc pestifera naturam & conditionem earundem quoq; rerum venenatarum in specie redoleant: Atq; ad ò bonâ cum ratione hinc inferendum; Quòd quæ generatim est natura & conditio aliorum venenorum omnium, eadem pestifero halitui non possit denegari. Jam verò quis nescit, venena cujuscunq; generis, tùm naturâ suâ, tum præparatione sic disponi posse, ut exhibita aut assumpta non illicò semper, sed post aliquod temporis intervallum, aliquando etiam satis longum, vires demùm suas proferant: cùm id autoritatibus & experientiâ satis superq; habeatur comprobatum. Præ cæteris enim Galenus, commentario 3. in prim. prorrhetic. Hippocrat. aph. 17. *Causæ aliquæ eorum*, inquit, *quæ in corporibus procreantur potentiâ virtuteq; tùm virus rabidorum canum, tum lethalia ea medicamenta repræsentant, quæ etsi in affecto loco nullum protinus, quod notabile sit, pariant symptoma, post quatuor tamen vel sex menses vel longiorem temporis usuram hominem perimunt.* Et paullò inferiùs: *Non est igitur absurdum*, inquit, *ut talis in corpore paullatim progenitus sit humor, qualis est & rabientium canum, & tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum, ita ut plerosq; medicos lateant &c.*

E prædictis Argumentatio.

Venena alia vim suam tardiùs aliquando exerere Prob. 1. Autorit. Gal.

Rursus commentario tertio in 3. epidem: circa ægrotant. quartum sic disserit: *Pedetentim*, inquit, *in corpore causæ, quæ sunt excitandis ejuscemodi malis, crescunt, quod morsis usu venit à rabidis canibus: Nam apertum est, quod ca-*

nis

uis venenum, (licet in morsis non otietur nec conquiescat,) nullam sui ipsius notam prodit multis interim proximis mensibus, subitò autem illos, cum viderint aquam, formido incessit, posteaq; brevi moriuntur. Longo enim tempore caussa, quæ rabiem efficit, augetur, quæ ubi eò tandem pervenerit, mortem adfert repentinam. Ita in hac phrenitide vitiosus in corpore humor coacervatus fuit, veneno lethali assimilis, in corporibus vicinis aliquid paullatim agens, quæ quando vitio jam aliquo oportuna erant, humorq; ipse evaserat malignissimus, lethale repentè apparuit symptoma. In libello item de part. art. med: cap. 5. agens de dispositione corporis mediâ inter sanitatem & morbum, quæ neutra ipsi nuncupatur, in tali corpore ita se rem habere asserit, sicut se habet in demorsis à cane rabido, vel his qui assumsêre deleterium aliquod (venenum) ex eôrum genere, quæ (non illicò sed) post tempus aliquod interficiunt. Idem apertiùs proposuit Theophrastus Græcus autor, ut antiquus, sic gravissimus, lib. 9. histor. plantar. cap. 15. his verbis: *In ÆEthiopiâ, quâ sagittas inungunt, radix mortifera est; Apud Scythas non solum ea radix, sed etiam plures reperiuntur, quarum aliæ confestim eo interimunt tempore, quo gustatæ sunt, aliæ post: & harum aliæ celeriùs, aliæ tardiùs, ita ut nonnullos tabe quadam paullatinâ possint consumere.* Et cap. subsequente 16. de aconito hæc habet: *Componi ita ferunt, ut certis occidere temporibus possit, videlicet bimestri, trimestri, semestri, anno completo; nonnullum etiam biennio, pessimè illos de vitâ discedere volunt, qui plurimum temporis resistere possint; paullatim enim tabescat corpus & languore pereat diuturno est necesse, facilimè illos, qui confestim obeant.* Et sub finem capitis: *Temporis differentiam,* inquit, *pro collectionis ratione sequi autumant, mortes collectionum temporibus compares evenire.* Rursus cap. 17. ejusdem libri de Cicutâ: *Sed enim,* inquit, *uti hoc an illo modo, plurimum referre omnibus manifestum profectò ex multis est. Nam & Cij non in hunc modum ante cicutâ utebantur, sed tritâ, ut scilicet uti*

Theophrasti.

cet uti cæteri solebant. At nunc terere nemo velit, sed detracto tegmine (id enim rem difficilem facit, quoniam confici contumax sit) pistam subinde in mortario tundunt, & prætenui cribro transmissam, aquâ insperſam bibunt, atq; ita obitus celer facilisq; occurrit. His suffragatur Avicenna lib. 4. canonis fen. 6. tract. 1. cap. 2. Et omne quidem, inquiens, quod interficit cum permutatione complexionis, aut cum putrefactione, aut cum adventu super membrum, possibile est, ut sit effectus post tempus.

Avicennæ.

2 experientiâ.

Autoritatibus correspondet experientia, quam ex antiquioribus adfert A. Gellius lib. 6. noct. Atticarum cap. 4. de Attilio Regulo, qui cùm captus esset ad ea quæ in senatu Romæ dixerat, suadens ne captivi Romani cum Carthaginensibus permutarentur, id quoq; addidit, venenum sibi (ut & aliis dubio procul captivis) Carthaginenses dedisse non præsentaneum, sed ejusmodi, quod mortem in diem proferret, eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio, post autem grassante sensim veneno cor tabesceret: Sicq; nimirum contingeret posteà mori omnes Romanos restitutos, vivis remanentibus Carthaginensibus.

E recentioribus verò Amatus Lusitanus centur. 2. curation. Med. 65. refert casum de quodam Aruba famulo, qui pullo degustato, cui arsenicum fuerat aspersum, paulatim inde tabescens intrà annum obierit. Sed & è recentissimis Johannes Hugo Linschottus, Indicarum rerum scriptor fide dignissimus, in secundâ parte histor. Indicarum cap. 31. refert, multas fœminas virorum pertæsas, ijs venenum propinare, quod quidem ad annum unum, duos, tres, aut etiam menses diesve pro libitu præparare norint, ut citra noxam gestetur, antequam vires suas incipiat exerere: horâ autem adventante intrà semihoræ spatium operationem suam perficere: & id sæpè apud Indos se observasse testatur, apudq; ipsos admodùm esse frequens.

Multò

Multò autem magis hæc probandi ratio verisimilis erit apud eos, qui pestilens seminarium sive halitum pestiferum non agnoscunt pro veneno, quoad formam seu naturam totam, sed saltem virtualiter & effectivè, ita ut facilimè in naturam venenosam seu veneno similem trãseat, tunc scilicet, quando per ipsum in humano corpore certo quodam gradu putrefiunt humores simul & ebulliunt: Cujus sententiæ Antesignanum egit Marsilius Ficinus cap. 1. Antid. Epidem. Et in eandem fortassis inclinarunt Quercetanus & Mindererus, dum pestilens venenum non idem esse statuunt cum venenis aliis, sed saltem cum iisdem analogiam habere, & naturam eorum æmulari. Quâ de causâ acutissimus Cæsalpinus lib. 3. Art. Medic. cap. 48. *Pestem* definiebat *morbum communem pernicioſum ex aëre instar Veneni alterato (non autem ex aëre revera venenato, aut venenatis halitibus obsesso)* Et paulò post, *pestem*, ait, *esse morbum in intemperie calidâ & humidâ, ob putredinem magnam (non autem in vero veneno) consistentem.* Gravissimus item noster Præceptor Alexander Massaria vim pernicioſam pestis non tàm veneno quàm putredini insigni adscribebat, tùm in lectionibus de febri pestilenti, tùm etiam in libro de peste, & in disputationibus de abusu medicamentorum vesicantium & theriacæ in febribus pestilentibus. Quos dubio procul secutus Johannes Baptista Sylvaticus lib. 2. de Theriacâ cap. 29. ubi contra Julium Alexandrinum agit de usu theriacæ, id quod de veneno in peste non existente ille adstruxit, tanquam verissimum admittit, venenumq; propriè dictum pesti, quævis illa fuerit, minimè inesse firmiter sibi persuasum habet. Quod si ita est, (ut sanè, si non in omni, saltem aliquâ constitutione pestilenti videtur rationi esse consentaneum) gradusq; ille putrefactionis & ebullitio, non nisi præcedente alteratione quadam & per aliquod temporis intervallum introduci potest, ut ex

Pestilens seminariũ nõ esse venenũ formaliter, juxta sententiam aliquorum.

Ex hac hypotheſi argumẽtatio.

Ex hypotheſi, peſtilens ſeminarium formaliter eſſe venenatum, argumentatio. 1.

Eraſti etiàm diſcurſu colligitur, præcedente capite allato; quis inficias ibit ampliùs, peſtilens ſeminarium citrà ſenſibilem noxam, more aliorum venenorum, intrà corpus vivens aliquando deliteſcere? Si verò idipſum haut concedatur Marſilio Ficino & recentioribus prænominatis, peſtilens q; ſeminarium formaliter & totâ natura venenum eſſe ſtatuatur, ut venena alia è genere mineralium vegetabilium & animalium, uti q; ejus etiàm ea erit natura & proprietas, quæ eſt aliorum venenorum in genere, ſi modò vera eſt regula Logicorum: *Quæ conveniunt genere, ea quoq; convenire proprietatibus ejusdem generis:* Et contrà, *Quæ non conveniunt proprietatibus generis, ea nec ipſo genere convenire.* 2. Inſuper, *De ſimilibus idem eſſe judicium,* trita eſt vox Philoſophorum; non minus item vera & Minervæ ſuffragium, ſi obſerventur ſimilitudinis leges & comparatio inſtituatur ſecundum idem. In præſentiâ ita q; cùm ſeminarium peſtilens confertur cum aliis venenis, ſimilitudo hæc attenditur non penès naturam ſpecificam aut particularem uniuſcujus q; veneni, ſed juxtà naturam venenorum genericam ſive omnibus communem. Quo reſpectu ſi venenum, quatenùs venenum eſt, comprobetur latitare poſſe intrà corpus vivens, uti q; omne venenum ſeu quælibet veneni ſpecies latitare poterit; ſiquidem valet conſequentia, ut itidem norunt Logici, *ab eo quod dicitur ἧ ἀυτὸ ad id quod dicitur καθὰ παντὸς ſive à quatenùs ipſum ad de omni,* ut quidam loquuntur. Jam verò venenum eatenùs dicitur venenum, quatenùs facultatem toto genere deleteriam ſeu perniciosam in ſe continet, vel potiùs actionem talem exſerere valet in corpus humanum. Hanc igitur ſeu facultatem ſeu actionem deleteriam ſi inhiberi interdùm in corpore vivente probatum fuerit, omne quo q; venenùm ſeu quamlibet veneni ſpeciem latitare poſſe comprobatum erit, conſequenter etiàm

etiàm venenum peſtilens. Atqui vis ſeu facultas & actio deleteria aliquando poteſt inhiberi, tùm ratione ſui ipſius, ut patet è ſupradictis, & capite ſequenti porrò innoteſcet, tùm ratione ſubjecti patientis non diſpoſiti, ſiquidem *Omne agens agit in patiens determinatum, non autem quodvis agit in quodlibet,* ut conſtat è philoſophiâ naturali, & cap. 4. itidem comprobandum erit. Ergò etiam veneni peſtilentis vis & operatio infringi poterit, atq; adeò id ipſum latitare aliquando, haut erit inconveniens. Undè facilè perſpicitur quàm ficulnea ſit inſtantia, quam hic forſàn aliquis adferet, peſtilens contagium etſi in genere conveniat cùm alijs venenis in hoc, quod non interficiat ſæpè niſi elapſo aliquo temporis intervallo, id tamen in ſpecie obtinere peculiare, quatenùs nimirum certæ cujusdam & determinatæ ſpeciei eſt venenum, ut non poſſit citra ſenſibilem actionum noxam intra corpus vivens deliteſcere. Reſp. ad inſtantiam aliquorum.

Sed pleniùs reſolvendæ hujuſce dubitationis gratiâ, demonſtrandum adhuc erit, ſeminarium peſtilens non ſolùm ratione genericâ ita ſe habere, ut hoc ipſo capite comprobatum eſt, ſed etiam quatenus in ſpecie tale eſt; quod quidem capite ſubſequente pro meâ virili demonſtrare aggrediar. Nunc ſaltem id ſubjungo pro confirmatione eorum, quæ hactenùs ſunt propoſita, quod adfert Clariſsimus Conradus Geſnerus Tigurinus in epiſtolis (m. p. 62.) repertam eſſe peſtilentiam, cui nullum aliud venenum congrueret magis, quàm rabidi canis: *Utrumq; ſepticum*, inquit, *& contagioſum eſt, & vel latitat aliquandiu, poſtea recrudeſcit, vel ab initio ſtatim ſævit: video & remedia multa, medendiq; rationem convenire.* H. Geſnerus. Cõfirmatio eorum quæ hactenus propoſita.

Atqui pro comperto habetur apud omnes, venenum morſu canis rabidi inflictum diutius etiam in ſano corpore,

pore, non per dies aut menſes ſolùm aliquot, ſed etiam annos complures circumferri, ut comprobarunt autoritates & experientiæ virorum magni nominis cap. 1. allegatæ. Taceam de virulentiâ venereâ, quot ſæpè annis ea delitescere obſervetur, antequàm funeſtioribus ſe prodat ſymptomatibus: unius jàm ſufficiat teſtimonium Herculis Saxoniæ, Præceptoris itidem Patavini, cujus in libro de lue Venereâ cap. 11. hæc ſunt verba: *Latet aliquando* (lues venerea) *menſibus & annis: Curavi ego patientem, cui tophi venerei ſupervenerunt annis 25. ab acceptâ lue.*

Nihil quoque adjungo de variolis, morbillis ut & epilepſiâ, cujus venenatam qualitatem diutiſſimè latitantem alii adducunt pro eâdem ſententiâ confirmandâ: cùm longè ea abſint à naturâ & proprietate perniciosiſſimâ contagii peſtilentis, & aliorum venenorum, de quibus hucusq; prolixè ſatis diſſeruimus.

CAPUT

CAPUT III.

RATIO SECUNDA, A NATU-râ ipsius seminarii pestilentis, quod immittitur.

IN omni genere rerum naturalium, cumprimis mineralium, plantarum, animalium, sua cuiq; est sympathia & antipathia cum aliis, unde aut vis eorum augetur aut imminuitur, & quidem eò magis, quò simile aut contrarium ejus existit potentius seu validius. Quamobrem etiam vires venenorum variis modis exacui sive intendi posse, nec non hebetari & infringi, extrà omnem videtur versari dubitationis aleam. Id ipsum tùm de aliis cujuscunq; generis rebus naturalibus, tùm de venenis in specie, operosiùs nunc declarare non est nostri instituti, præsertim cùm luculenter id egerit Franciscus Valleriola lib. 3. loc. com. Medicin. cap 18. His ergò nunc missis, rationem saltem indagemus & proferamus, cur ut ore sumpta quæcunq; venena, alia quidem citiùs, alia tardiùs vim suam exserunt, sic etiam virus aliquod pestiferum non illicò semper postquàm intra corpus fuerit admissum, sed exacto demum temporis aliquo curriculo, vitale cordis robur aggrediatur. Et sanè causam hujus diversitatis, tùm ipsi seminario pestilenti, tùm homini cui immittitur, tùm denique modo immissionis adscribere licebit.

Causæ tres ob quas tùm venenum quodvis, tùm pestilens diu possit latitare.

1.
2.
3.

Quod ad ipsum seminarium pestilens, etsi ejus natura ut plurimùm & magnâ ex parte soleat esse vaporosa seu halituosa: Evenit tamen, ut aliquando id ipsum etiam sit de genere humorum, nempe ichor aliquis, aut sanies, aut excrementum sordidum, viscosum, adhæ-

1. Ex parte seminarii pestilentis.

rens corpori, cui illabitur. Insuper sub utrâq; consistentiâ, tàm humoris, quàm vaporis, diversorum quoq; elementorum naturam participat, nunc scilicet ignis, nunc aëris, modò aquæ, modò terræ; quâ de causâ Paracelsus in lib. de pestilit. tractatu primo, pestem aliam dicebat esse ignis, aliam aëris, aliam aquæ, aliam terræ. Quin etiam cum diversis mixtis, *id est*, venenis, analogiam sæpe obtinet, ut præcedente capite dictum est, nempe mineralibus, vegetabilibus, animalibus, nec non diversis eorundem speciebus, ut, exempli gratia, dipsadis, canis rabidi, sub genere animali; napelli, aconiti, tithymalli, cicutæ in genere vegetabili; arsenici, auripigmenti, antimonii, mercurii, sub genere minerali. Unde venenum pestilens modò viperinum, napellinum, aconitale, cicutosum, tithymallosum, arsenicale, auripigmentale, antimoniale, mercuriale, modò aliorum venenorum nominibus insignitur. Hinc etiam tùm in diversis constitutionibus pestilentibus, tum in eademmet, aliis atq; aliis temporibus inter varios ægrotos versanti Medico non uniformi semper facie pestis sese conspiciendam exhibet, sed admodum difformi, atq; adeò distinctis quoq; alexipharmacis edomandam, (nisi fortassis unum aliquod reperiatur, quod ratione variorum ingredientium diversis venenis superandis sufficere possit, qualia olim habita fuêre theriaca Andromachi, mithridatica confectio, & similia) Idipsum inter alios ingeniosè observavit Simon Simonius lib. 1. Meth. curandæ pestis, (p. 30.) *Prudentis esse Medici*, inquiens, *non tàm spectare quid insit corporibus peste infectis, quàm quid illud sit, cum quo potissimùm pestis analogiam habere videtur: quibus item moribus illa progredi, quove finiri modo consueverit.* Et excellentiss. hâc nostrâ ætate Raym. Mindererus in lib. de pestilentiâ cap. 3. (m. p. 31.) *Venenum pestilens experientiâ edoctus adeò & varium & diversum esse testatur, ut singulæ propemodum pesti sua sit peculiaris*

culiaris junctæ malitia, inferendæ neci sufficiens, cujus discrimen à nocendi modo, & symptomatum varietate petendum sit. Diligentissimè proinde diversitatem hanc venenositatis animadvertendam & pestis curationem susceptura observandam. Etenim si pestis graves somniculositates, ingentes sopores, lethargos, ac comata invexerit, longè aliter sese tractari postulabit, inquit, *quàm si vigilias, inquietudines, ac ingentes cordis siccitates intulerit. Venenum enim pestilentiale modò dipsadis, modò viperæ, modò cicutæ, modò napelli aut alterius exhibiti toxici naturam æmulatur, cui in curatione singulari curâ attendendum.* H. Minder. qui id ipsum aliquot etiam exemplis illustrat, quamvis paullò pòst in genere venenum pestis omnino septicũ seu putrefactorium existere, ac septicâ potissimum vi omnem cladem perficere, aliquot argumentis comprobare intendat. Quæ cùm ità se habeant, in propatulo est, seminarium pestilens, quoad substantiam seu consistentiam, dari rarius aut densius, tenuius aut crassiùs, viscosius aut minus viscosum: Quoad temperiem primarum qualitatum calidius, frigidius, humidius, siccius: Quo ad substantiæ seu temperiei peculiarem proprietatem, cum his aut illis, non solùm animalium speciebus, sed etiam specierum individuis, majorem minoremve sympathiam aut antipathiam obtinere.

Primò itaq; & ante omnia seminarium pestiferum ratione suæ substantiæ sive consistentiæ tardiùs vim suam perniciosam exseret, atq; adeò pernicies ejus aliquandiu delitescet; si ad terream aut aqueam naturam accedat propiùs, quàm ad aëream aut igneam; nempe si sub speciei ichoris aut saniei, aut cujuscunq; humoris corpori humano illabatur; aut saltem sub specie halitûs vaporisve densioris, crassioris, gravioris, viscosioris. Tali siquidem consistentiâ, aut non ità promptè intra corpus unà cum aëre abripietur, aut primo statim Ratione substantiæ sive consistentiæ.

corporis aditu detinebitur, aut saltèm in penitiores ejus recessus & cor vitalis caloris officinam, vitæque adeò ipsius arcem, non ità facilè admittetur, aut demùm si aliquous que admissum fuerit, tardiùs ad actum deducetur, viresque suas pernicioſas cum sensibili actionum noxâ exserere incipiet. Idem verò de venenis aliis, seu medicamentis putrefacientibus, diserte protulit Galenus 3. de simplic. Medicam. facult. cap. 22. Inquiens: *Longo etiam post tempore, à quo assumpta sunt nonnulla interimunt, potissimùm quæ crassâ terrenâque essentiâ sunt. Hæc enim corporibus nostris inhærentia, insidentiaque, dein temporis spacio putrescentia erodunt corrumpuntque vicinas corporis partes.*

Primarum qualitatum

II. Ratione primarum qualitatum, si paullò frigidius humidiusve esse contigerit seminarium pestilens, ad cicutam nempè, aut aliud venenum frigidius analogiam obtinens, pro comperto habendum est, tardioris quoque id futurum operationis, quàm si valdè calidum & siccum, nimirum dipsadis aut viperæ veneno analogum; quippe cùm calor majoris sit activitatis, quàm frigus, siccitasque sit lima caloris magis, quàm humiditas. Etsi enim ratione putredinis majoris invehendæ humiditas caliditati adjuncta magis videatur corruptionem minari, quàm siccitas, tamen actio ista caloris erit remissior & tardior, quàm si venenatæ qualitati & calori associetur siccitas, atque adeò humiditatis ratione venenum pestilens latitabit diutius, citra noxam sensibilem.

Peculiaris proprietatis substantiæ aut temperamenti.

III. Ratione peculiaris cujusdam proprietatis substantiæ aut temperiei fieri potest, ut halitus aliquis pestifer, tùm uni homini minùs sit infestus quàm alteri, tùm partes subeat à corde remotiores potiùs quàm ipsum cor. Testatum enim facit experientia, in aliquibus constitutionibus pestilentibus certas duntaxat familias infectas & inter-

interfectas fuisse, ut apud Evagrium legitur lib. 4. historiarum Ecclesiasticarum cap. 28. *In peste Antiochiensi*, cujus supra etiam meminimus, *interdum quasdam familias prorsus extinctas fuisse, interdum unâ & alterâ familiâ interemptâ reliquam urbem incolumem permansisse; quin & familias quæ hoc anno integræ mansere, sequenti anno solas eo morbo affectas.* Hieronymus item Cardanus lib. 8. de rerum varietate cap. 4. pestis meminit Basileensis, quâ soli Helvetii, non item Hispani, Itali aut Galli, eadem licet in urbe existentes, afficerentur. Cui non absimilis videtur esse relatio Johan Utenhovii in historiâ peregrinationis Ecclesiæ Anglicanæ, sub finem capitis quarti, de peste quâdam sævissimâ Hafniæ in Daniâ anno 1553. grassante, brevique temporis spatio aliquot Danorum millia prosternente, à quâ tamen immunes prorsus manserint omnes tunc ex Angliâ advenæ, inter quos non solùm Angli erant, sed etiàm Belgæ, Germani &c. quamvis ii majori ex parte eas incolerent ædes, quæ vel ab hominibus peste enecatis vel ab aliis etiamnùm viventibus propter infectionem fuerant derelictæ.

Nec minùs experientiæ rationique & judicio quorundam præstantissimorum Autorum consentit, dari pestilens aliquod virus non cor primò impetens, sed cerebrum, pulmones, hepar &c. prout scilicet idipsum analogiam habuerit cum hoc aut illo veneno, quod has aut illas partes præcipuè invadere consuevit. Inter recentiores ità sensit Drœtus in consilio novo de pestilentiâ, *Pestem sive venenosum*, inquiens, *contagium aliquando cor principaliter invadere, aliquando cerebrum, aliquando jecur & venas, & quidem varias partes in sanguine, modò sanguinem speciatim sic dictum, modò bilem, modò pituitam, modò melancholicũ humorem*, quorum etiam signa particulariter proponit. Idem statuit Josephus Quercetanus lib. 1. Alexic. pestis cap. 6. (m. p. 155. & seq.) pestem scilicet aliquam

cerebrum invadere, aliquam cor, aliquam denique hepar, venas & alias partes nutritioni destinatas. Quibus sic propositis, nemo, opinor, inficias ibit, pestilens contagium tardiùs ad actum deductum iri, & operaturum in hominibus singulari quadam temperamenti proprietate eidem resistentibus. Tardioris item periculi, & hebetioris perniciei futurum, si non illicò in cordis penetralia abripiatur, sed alibi subsistat, unde radios tandem venenatos versùs cor emittat.

Quantitatis seu copiæ.

IV. Sed & quantitas seu copia minor, ut aliorum venenatorum, sic contagii pestiferi, remissiorum erit virium, tardiùsq; deleteriam exseret qualitatem: quippe cùm eam calor nativus vegetior ad tempus aliquod superare conetur, licet tandem succumbens palmam concedat qualitati venenatæ, quæ tunc tarditatem actionis gravitate compensare haut intermittit. Quâ de causâ Galenus 3. de simplic. med. facult. cap. 22. *Si prorsus exile sit (venenum) deleterium, nihil*, inquit, *repugnat, quò minus quoq; illud nihil perficiat, propterea quòd cum recrementis excerni possit, aut idoneâ victûs ratione superari.* Et paullò inferiùs rationem subjungit, quam nos attigimus: *Opus enim est*, inquiens, *ut quicquid agit, etiamsi sit valentissimum, aliquam tamen etiam magnitudinem habeat, quando nimirum & ignis ipse, si prorsus minimus sit, præterquam quod non uret, nec calefaciet quidem.* H. Gal.

Præparationis artificialis.

V. Præparatione quoq; artificiali & quarundam rerum permixtione cujuslibet veneni, consequenter etiam pestilentis, vis inhiberi ac retardari potest: si scilicet talia ei adjungantur, quæ vel deductionem ipsius ad actum, vel motum versus cor inhibeant. Annon enim iidem cibi, exempli gratiâ, pisces, præparati cum aroma-

aromatibus & vino, brevi tempore conficientur in ventriculo, ut horis septem: Absq; aromatibus verò & cum aquâ simplici, aut similibus vix decem horis digerentur? An non item medicamenta purgantia, *Mesuę autore*, quæ tardæ sunt operationis, exacuuntur additis iis, quæ operationem accelerent, ut melle serum lactis, & zinzibere agaricus? Aliis contrà, quorum promptior quidem est facultas, sed minùs durabilis, talia permiscentur, quæ actionem aliquòusq; retardent, ut medicamentis pulmonum, ad quos cum iter sit longum & anfractuosum, medicamenta vix eò pertingerent viribus integris, nisi facultas eorum crassis quibusdam & glutinosis aliquantulùm coërceretur. Similem ergò in modum etiam venena, siquidem cardiacis, sive cordi amicis, mixta, secundùm sententiam aliquorum, omninò citra perniciem sumuntur, nec in perpetuum nocere valent: quidni etiam ope eorundem cardiacorum, seu intra corpus separatim assumptorum, seu etiam venenis permixtorum, aliquot saltem hebdomadibus vis ipsorum suspensa teneatur? Sed propiùs ad seminarium pestiferum: sicut id aëre squalido, putrido & fœtido exceptum, sese miris modis multiplicat, viresq; acquirit eundo, & præsentissimo exitio est mortalibus: Ita sanè per aërem temperatiorem, puriorem, ignibus item, suffumigiis & similibus artificiis correctum, advectus alicui homini halitus pestifer, quin tardioris omnino futurus sit operationis & perniciei minoris, nemini ampliùs dubium esse potest.

VI. Addamus præcedentibus etiam hoc: si halitus pestiferi in aëre huc illuc oberrantes, dispersi non uniti, sicq; viribus omninò distracti, non confertim unâ aliquâ viâ, ut, exempli gratiâ, per asperam arteriam

Virtutis unitæ aut dispersæ.

riam & pulmones inspiratione factâ, in cor vitæ arcem irruerint, sed variis potiùs corporis partibus à corde remotioribus, de quibus inferiùs disquirendum, minutatim illabantur; simile quid contingere, quod fit militibus non densato agmine & acie benè ordinatâ instructâque, sed saltem insultibus fortuitis & ferè solitariis, aut incursionibus debilioribus fugitivisque, hostem aliquem invadentibus. Nimirum quia vis dispersa imbecillior est virtute unitâ, halitus illi pestiferi, dum mutuas sibi haut præbent operas, facilè à naturâ vincuntur & edomantur; aut si non edomentur prorsus, tardiùs saltêm exerunt vires suas in naturâ hominis oppugnandâ, obque id latitare citra sensibilem actionum læsionem jure merito à nobis statuuntur.

CAPUT

CAPUT IV.

TERTIA RATIO, A NATURA & dispositione hominis, cui seminarium pestilens immittitur.

CAtholicum est in Philosophorum scholis axioma: *Agens non agit nisi in subjectum benè dispositum*: Et, *Forma recipitur in materiâ secundùm capacitatem materiæ*: Idq; è Philosophorum Phœnice 2. de Animâ, text. 24. ubi actum activorum ait esse in patiente benè disposito: quippe si id quod patitur naturæ sit habilis ad vim agentis suscipiendam, facilis & expedita est actio, sin minus, ægriùs actio illa perficitur. Et ratio ejus est hæc: quandoquidem omne patiens reagit, ut loquuntur Philosophi, sive resistit quadamtenùs agenti: quò ergò minùs resistit, eò actio facilior, etsi agens sit imbecille; quò magis resistit, eò actio difficilior tardiorq;, etsi vis agendi ei adjungatur paullò validior. Hinc Averrhoës com. in 2. Meteor. 2. *Agens*, inquit, *debile potest facere in uno loco actionem majorem actione agentis fortis, & hoc propter diversitatem subjecti in dispositione seu præparatione.* Sic enim, teste experientiâ, sulphur, pix, stipulæq; aridæ, à favillâ citissimè accenduntur; ligna densa, solidaq; & viridia, ignis flammantis vim non nisi tardiùs admittunt & experiuntur. Idipsum rei medicæ & speciatim febris pestilentis generationi accommodans Galenus 1. de differ. febr. 4. *Oportet*, inquit, *hoc toto in sermone repetere memoriâ, quod nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest, alioqui omnes, qui sub æstivo sole commorantur, febricitarent, aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu gravantur, aut irâ excandescentes, aut tristitiâ affecti, fe-*

bricitarent. Alioqui etiam, ut arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, ac in pestilentiis morerentur. At, ut diximus, magnam in generatione ægritudinum partem habet, ejus qui passurus est, habilitas corporis. H. Gal.

Quamobrem dato seminario pestifero, tanquam agente magnarum virium, actio ejus si non annihilabitur prorsùs, saltem tardiùs succedet, corporibus actionem ejus suscepturis ità dispositis, ut majore resistentiâ eam admittant. Atqui, Magni Hippocratis judicio, differt corpus à corpore, natura à naturâ, non solùm in diversis animalium generibus, inter quæ istic comparationem instituit Hippocrates, sed etiàm in eâdem specie humanâ, nempè penes majorem vel minorem, ut ab aliis caussis morbificis, sic à pestilenti contagio, patiendi aut etiam resistendi potentiam: Et ea quidem non tàm dependet simpliciter à robore temperamenti, aut virium, majore minoreve, ut aliquis forsan existimaverit, cùm, proh dolor, fortissimus quisque haut rarò peste prosternatur; quàm à proportione quadam ac conformitate, aut, ut aliqui loquuntur, disproportione ac difformitate, ad pestiferam contagionem tardiùs citiùsve suscipiendam. Ea ipsa autem convenientia aut repugnantia undenam dependeat, si quæstio instituatur, respondendum videtur, eam dependere à peculiari quâdam naturâ corporis, & dispositione temperamenti; â copiâ majore minoreve humorum excrementitiorum, qui in aliquo corpore redundant; ab animi pathematibus; à diversitate ætatis, sexûs, temporum anni, consuetudinis; denique ab accidentariis quibusdam hominum actionibus, moribus & constitutionibus. Inprimis enim quod ad naturam corporis peculiarem attinet, præter id quod præcedente capite allatum est ex Evagrio de peste Antiochiensi, in quâ certæ quædam familiæ prorsus interierint, salvis interim permanentibus reliquis urbis istius incolis: Et ex

Ratione naturæ peculiaris.

Carda-

Cardano de peste Basileense, solos Helvetios prosternente, Italis & Gallis ibidem citra pestis periculum conservatis? Ex Utenhovio item, de Anglis & eorum sociis in Daniam advectis, qui à peste in Danos illic crudeliter sæviente immunes fuêre conservati; Indubitatæ fidei est, reperiri corpora naturaliter ità disposita, ut venenis certi generis suâ velut Bezaarticâ naturâ, aut nullo modo, aut saltem difficulter afficiantur. Cujus rei exemplum adfert Hieronymus Cardanus in commentar. super librum Hippocratis de alimentis (p. 237.) de quodam homine tempore Leonis X. Pontificis reperto, qui nullo auxilio arsenicum sine noxâ ad unciæ fermè quantitatem devoraret, obq; id capitali crimine fuerit liberatus. Albertus item Magnus referente Cælio lib. 11. cap. 3. L. A. Coloniæ Agrippinæ puellam se vidisse, quæ tres annos nata parietibus arreperet, araneas venatura, quas voraret, eoq; cibi genere oblectata insigniter aleretur. Et Theophrastus lib. 9. histor. plantar. cap. 18. testatur, quosdam tantum ellebori esitantes, ut manipulos totos consumerent, nullâ ratione inde commoveri. Quin & Æthiopes Hidaspis fluvii accolas citra noxam vesci scorpionibus & serpentibus, historiographi testatum reliquerunt: & quæ hujus generis passim similia occurrunt. Istiusmodi ergo naturæ hominibus, quales dubio procul etiamnùm alicubi reperiuntur, si seminarium pestilens occurrat, aut intra corpus admittatur, veneno arsenici, aranearum, scorpionum, viperarum analogum, pro ut occurrere superiùs comprobatum fuit; quis dubitabit, eos aut immunes prorsùs futuros ab isto contagio pestilenti, aut ægriùs saltem tardiùsve periculum inde incursuros esse: Sicut contrà, ut præclarè discurrit Josephus Quercetanus, (in alexic. pestis pag. 183.) *Illi qui hujusmodi corruptorum humorum sentinam, humorum, inquam, quos spiritus arsenicales, napellini, &c. suâ tinctura infece-*

fecerunt, vel qui ad eam facili occasione suscipiendam præ aliis magis sunt dispositi, pestis venenum facilius longè recipiunt.

Temperamenti. Idem contingere beneficio temperamenti unanimis est consensus omnium Medicorum, qui de peste commentantur, nimirum homines temperamenti frigidioris, præsertim siccioris simul, quale est melancholicorum, non ita promptè confestimq; ab halitu pestilenti affici; sicuti contrà in cholericis ob caliditatem, & in sanguineis ob caloris & humoris abundantiam, periculum solet esse præsentissimum; cujus eventûs ratio est quadruplex. I. quia cordi calidiori in hominibus temperamenti calidi inspiratio adjungitur major & plenior, non modò per os, nares & asperam arteriam, sed etiam per arterias omnes in toto corporis habitu, cujus ratione impetus attractionis major atq; adeò ea, quæ attrahuntur intimiùs abripiuntur versùs cor spirituum vitalium officinam, undè noxa celerior. II. Celeriùs eâdem de causâ attractum & in cordis penetralia deductum venenum, viribus in itinere minùs refractis, spiritum calorem q; vitalem sic oppugnat potentiùs. III. Si calori insuper humiditas fuerit associata, ad putrefactionem humorum & spirituum apparatus major est, fomes q; copiosior & habilior, quàm in corporibus frigidis & siccis. IV. Ob caliditatem temperamenti, cujus proprium est dilatare & amplificare, tùm vasa omnia sunt ampliora, tam interna, quàm externa ad superficiem corporis, tùm pori meatus q; omnes patentiores, ad id quod forinsecùs ingeritur celeriùs ac expeditiùs admittendum: unde densiore corporis naturâ præditi, seu naturâ, seu arte, tardiùs pestilenti contagio, licet intra corpus jàm admisso, teste experientiâ, afficiuntur. Singula hæc, quamvis non hominum inter se, sed cum aliis quibusdam animalibus, cõparatione, dilucidè proposuit Galenus lib. 3. de simpl. medic. facult. cap. 18. *Hominem quidẽ*, inquiens, *cicuta necat, tum ob meatuum am-*

um amplitudinem, caloriq; multitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum etiam ad cor pertingens: Sturnos verò ob causas contrarias haud enecat, utputa cùm & retineatur ac cunctetur, ac sese temporis tractu concoqui præparariq; à corde, tanquàm à foco, incalescens, sinat. Similis ratio est humorum excrementitiorum in corporibus redundantium: nimirum humor melancholicus copiosior, qui etiam in pituitosis & sanguineis corporibus certas ob causas interdum coacervatur, usq; adeò inhibet & remoratur vim contagii pestilentis, ut præclarissimi quidam Viri, inter quos eminentissimus Hispaniarum Archiater Ludovicus Mercatus in lib. de febri pestil: cap. de præcautione corporis à peste, præservandi gratiâ humorem melancholicum hautquaquàm expurgatum velint, perinde ut alios humores cacochymiam inducentes, *quippe is*, inquit Mercatus, *plerumq; pestilenti putredine obsistit.* De pituitâ non est idem judicium, cum ea ob crassitiem & visciditatem facilè obstruat & infarciat venas, ratione autem humiditatis, calore non ventilato propter obstructiones, ut & sanguis, ob naturalem caliditatem & humiditatem, sat promptè putredinem concipiat, quæ fomes est pestilentiæ: Atq; adeò ejus redundantis beneficio vix inhibebitur aut retardabitur actio veneni pestilentis, ut ab humore melancholico, quamvis copiâ limites temperamenti excedente. A bilioso autem humoris redundantiâ, ratione caliditatis, siccitatem sibi adjunctam habentis instar limæ cujusdam, vis contagii tùm exacuitur, tùm in penitiores corporis recessûs celeriter deducitur, unde primo statim ingressu periculum ab eo apertius ac præsentius. Humorum excrementitiorum.

Sed quid dicemus de animi pathematibus sive affectionibus? Annon experientia, proh dolor, abundè testatur (ne jam dicamus de aliis,) homines meticulosos, qui vel ad muscas prætervolitantes pallentem habent animum, nedum ad personas aut res halitum pestiferum redolen- Animi pathematum.

tes percelluntur, multò intimiùs contagiũ admittere, atq; adeò leviore occasione pestilentiam incurrere, quàm Martio præditos pectore & magnanimos, aut animi saltem probè sedati & spe bonâ moderatoq; gaudio erectos. Unde & Thucydides in peste illâ Atticâ, cujus supra meminimus, testatur eos, qui propter metum abstinerent, nec accederent ad ægrotantes, non minùs peste correptos & extinctos fuisse, ac alios qui decumbentes invisérint. Cujus sanè eventûs ratio est hæc: siquidem ut terrore, præsertim subitaneo, spiritus à superficie corporis confertim versus cor abripiuntur, sicq; eò secùm devehunt halitum pestiferum superficiei corporis obversantem, qui cum sit naturæ spiritalis, syntimoriâ quadam sese vitalibus spiritibus consociat: Ita è contrario, spiritibus æquabiliter per totum corpus expansis continuò remanentibus, quod fit animo benè composito, idem halitus non nisi temporis aliquo spatio exacto ad cor deducitur, interdum etiam à naturâ earum partium, quibus inhæresci, ita edomatur, ut nullum sit inde pestilitatis periculum, haut rarò tamen etiam, licet tardiùs, in pestem manifestè erumpit. Quâ de causâ apud Plutarchum legitur in lib. de musicâ, *Thaletam quendam Cretensem à Lacedæmonijs pestem fugasse solâ musicâ, quam Excellentissimus Hieronymus Mercurialis in lection. de pestilentiâ cap. 22. (pag. 83) nihil aliud fuisse existimat, ut & militum qui apud Homerum cantu pestem fugabant, quàm spem, gaudium, & lætitiam, quibus fiat, ut & animi & corpora valentiùs pugnent adversus morbum pestilentem.* Quin & Theophrastus musicâ viperarum & aranearum morsus curari testatur: Idemq; confirmat de iis qui à tarantulâ sunt demorsi, Mathiolus in lib. 2. com. in Dioscorid. & Scaliger: exercit. 155. adversus Cardanum: Nimirùm quia Musica animum excitat & spiritus ad corporis circumferentiam movet, ac proinde venenum à corde sic distrahitur, perq; poros discutitur

discutitur & dissipatur, inquit Hieron. Montuus in Iuvenilib. cent. 2. de admirandis facultatibus aphor. 96. Sicut ergò in curatione morborum id præstat musica, ita etiam in præservatione simile quid præstare valebit, spiritibus sic excitatis & probè compositis in universo corpore, ne frequenter commoti versus cor secum abripiant seminaria pestifera. An hæc fortè etiam non postrema est ex causis ob quas dextro Hercule nati homines & quibꝰ secundarum fortunarum cornucopiæ est, periculosiùs peste decumbant, quàm indigentiores, & de triviali popularium fece? Nempè quia in illis, ob metum & terrorem maximum, calor spiritusq; circa cor magis concentratus detinetur, & unà cum ijs venenum pestilens susceptum, obq; id alexipharmacorum ope, quæ exhibentur, ægriùs expellitur: Cujus contrarium accidit in alijs ob animum liberiorem, & spiritûs non ità concentratos. Quò respiciens dubio procul Paracelsus, venenum arsenicale pestis duobus modis in corpus hominis pervenire statuebat 1. impressione astrali 2. imaginatione microcosmi, *id est*, phantasiâ ipsius hominis, non nisi pestem assiduè cogitantis, & ad eam toto pectore exhorrescentis: Idq; ipsum innuit tritum illud, seu pervulgatum: *Imaginatio facit casum.* Certum est igitur ex his omnibus, in hominibus ab insigni hâc animi perturbatione, quæ timore aut terrore excitatur, liberis, & minore periculo admitti intra corpus venenum pestilens, & inibi diutiùs latitare citra noxam evidentem. Neq; obstat, quod paullò antè dictum est, homines temperamenti melancholici, aut humore melancholico abundantes, pestem tardiùs incurrere, quàm sanguineos aut cholericos, cùm tamen illi sint tristes timidiq;, hi contrà magnanimi, aut saltem animi præsentioris: *duplicis enim est generis timiditas: Una* quidem animi inconstantis & malè compositi, ratione variorũ appetituũ, quibus ille perturbatur, & sic levi

levi occasione ad quævis objecta terrifica percellitur: *Altera* verò prudentiæ comes, homines nempè reddens attentos in rem quamvis, accuratos, cunctabundos, legibus tam divinis quàm humanis obtemperantes, qualis Reipublicæ maximè conducit, unde non exiguam partem salutis publicæ metu contineri asseruêre Philosophi, & ad virtutum excellentiam requiri aliquam timiditatem, homines & ingenio præcellentes timidos esse necessariò demonstrabat Iohan. Bapt. Sylvaticus in controvers. Medic. num. 1. Prioris ergò generis timiditas inest hominibus phantasiâ seu facultate imaginatrice pollentibus magis, quàm intellectu, aut etiam debiliore tàm phantasiâ, quàm intellectu præditis, quibus propterea contagium pestiferum ingeritur promptiùs, ut modò dictum est. Alterum timiditatis genus est hominum melancholicorum intra latitudinem sanitatis, qui ob id non admodum obnoxii sunt pesti; quippe cum iis nihil occurrere possit inopinatum aut improvisum, ideò ab objectis terrificis non ita facilè perturbantur aut percelluntur, ut antehac fuit constitutum.

Sicut verò se res habet de timore seu terrore subitaneo, ut comprobavimus, ita etiam judicare licet de irâ seu animi excandescentiâ. Eâ enim cùm spiritus in corde & corpore universo motibus contrariis impetuosè commoveatur, cor facilè effervescit unà cum totâ massâ sanguineâ, unde non solùm inspiratio major & frequentior, seminariis pestiferis celeriùs & pleniùs suscipiendis occasionem præbens, sed etiam seminaria jam suscepta citiùs versùs cor devehuntur & apertissimè hominem affligere incipiunt. Contrarium igitur fiet in iis, qui ab hoc affectu prorsus liberi sunt, nimirum eadem pestis seminaria diutius latitabunt alicubi in corpore, nec ità facilè aut citò in apertum erumpent. Sed & alia se offert nobis ratio minimè prætermittenda, cur in homine à

prædictis

prædictis affectibus libero tardiùs vires sumat, & sese exserat venenum pestilens corpore vivente susceptum: Nempe quia spiritus in suâ velut statione manentes vegetiores existunt, mutuasq; sibi operas præstare valent magis, ad hebetandum & refrenandum venenum istud pestilens, quàm affectibus huc illuc impetuosè agitati. Tali quippe ratione ipsi spiritus primò sanguinis corpulentiæ nimis permiscentur & quasi immerguntur, sicq; minùs uniti sunt, per consequens debiliores ad resistendum. 2. Ipsius etiam sanguinis pars sincerior & defecatior motibus illis contrariis spirituum per massam sanguineam permiscetur parti sanguinis feculentæ & crassiori: Unde idem contingere videtur sanguini sic perturbato, quod evenit vinis aut cerevisiis turbidis, nec probè defecatis, quæ cum debiliter resistant caussis externis alterantibus, facilè acescunt aliisve modis corrumpuntur. Similem enim in modum etiam sanguis ità præter naturam affectus & conturbatus vim contagij pestilentis citiùs experitur. Contrario autem se modo habens, *hoc est*, naturali suæ quieti & puritati relictus, ab eodem tardiùs afficitur. Quâ de re sapienter quoq; discurrentẽ audiamus Guil. Rondeletium in lib. de cur. febr. c. de febri pestilenti, ubi de ejus causâ hæc profert: *Humorum, agitatio*, inquit, *proxima est caussa quæ humores excitat, & de potentiâ ad actum deducit, eaq; potissima videtur esse caussa & immediata. Nam in peste videmus homines levissimâ de caussâ corripi propter sanguinis agitationem, ut in peste videmus omnes illos, qui propter lucrum ægrotis ministrant, ventri gulæq; deditos & cacochymos, non tamen hoc morbo facilè corripi, propterea quod non conturbantur, etsi videant multos mori, lætantur enim propter lucrum magis. Hujus sententiæ fuit Cornel. Celsus, cum docet tempore pestis non esse mittendum sanguinem aut non purgandum fortioribus medicamentis, ne fiat humorum agitatio.* Et paullò inferiùs: *Tunc enim* (scilicet quando per-

do perturbatur sanguis) *venenum maximè corpora nostra inficit, propterea quod humores suo loco moventur, inde venenum illud recipiunt, quia à naturâ non conservantur. Natura enim humores & succos omnes quiescentes suis locis facilius regit, quàm agitatos, & quasi extra suos limites digressos.* H. Rondel.

Ætatis. Quod ad ætatem, veritati omninò consentaneum est, in senili corpore diutiùs latitare venenum pestilens, antequàm funestioribus se prodat symptomatibus, quàm in viris aut juvenibus, ob rationes de temperamento allatas ; Inprimis verò quia senes ad melancholicam naturam accedunt magis, & ratione siccitatis omnia interiùs obtinent densiora, unde penetratio difficilior ; quin & ab affectibus prædictis animum habent liberiorem. In virili item ætate diutiùs, quàm in juvenili aut puerili, tùm ob easdem rationes, tùm præcipuè, quia viri jàm facti sicciores evasêre, carnesq; & omnes corporis partes obtinent duriores, nec ita ad alterationem faciles, ut pueri ; Insuper nec ità redundant humoribus ad putredinem dispositis.

Sexus. Quod ad sexum : Sicut fœminæ faciliùs admittunt contagiũ pestilens, quàm viri, præsertim virgines, prægnantes & puerperæ, tùm ob redundantiam humoris sanguinei & pituitosi, utriusq; ad putredinem valdè dispositi, tùm quia meticulosæ & terrori admodùm obnoxiæ, simul tamen ὀξυθυμότεραι, *id est*, ad iram proclivi-ores, tum etiam quia corpora earum molliora, laxiora, flaccidiora : unde Dionys. Halicarnasseus lib. 4. histor. Rom. narrat, quâdam peste duntaxat virgines & gravidas correptas fuisse : Sic eædem ob crassitiem & visciditatem eorundem humorum, cordisq; temperiem frigidiorem ac humidiorem, & vasa omnia angustiora, spirituumq; naturam frigidiorem & torpidiorem, idem contagium detinebunt & fovebunt diutiùs, citra manifestam læsionem actionum consuetarum, ac noxam sensibilem.

Quod

Quod ad anni tempora, verisimile est, diutius magisq; abscondi venenum pestilens in corpore vivente tunc temporis, quando & ipsum est minorum virium, & corpora id suscipientia ad actionem ejus retardandam inhibendamq; magis disposita. Id verò est tempus hyemale, respectu tùm seminarii pestilentis in aëre aperto circumvolitantis, cujus vis obtunditur aëris frigiditate & crassitie, tùm corporum in eodem degentium, quorum constitutio tunc densior & cor minùs fervidum, unà cum universâ massâ sanguineâ: Nisi fortassis fomitibus quibusdam inhærens venenum pestilens apud nos calore hypocaustorum reviviscat & potentius efficiatur: corpora item hominum, adjuncto præsertim victu calidiore, acriore, pleniore, & ad putredinem disponente, æstu illo immoderato efferveścant flaccescantq;. Tunc enim non solùm infectio facilior, sed etiam infectionis jam susceptæ periculum manifestius celeriusq;. Temporum anni.

De vere idem ferè judicium in hâc nostrâ regione, quod de hyeme, quippe cum ejus constitutio frigida & humida sit potius magnâ ex parte, quàm calida. In æstate autem sicut invalescit apud nos præsens jam seminarium pestilens, ob caliditatem aëris intensiorem & ebullitionem sanguinis bilisq; exuberantis, ob cibos item corruptioni obnoxios, ut fructûs horarios, quarum causarum ratione tum pori dilatantur, sicq; præterquàm quod calore naturali spiritibusq; exhauriuntur corpora, aërem quoq; infectum pleniùs admittunt, tum humoribus putridis & cruditatibus opplentur, & sic pestilentem morbum facilè incurrunt: sicut insuper in autumno ad summum vigorem deducitur pestilens constitutio post æstatem relicta, ob copiam fructuum, debilitatem corporum ab æstate relictam, aëris frequentes mutationes & inde excitatam inæquabilem commotionem humorum, modò ad interiora, modò ad exteriora, causasq; alias: Ita

omninò verisimile est, iis quoq; temporibus pestilens seminarium intrà corpora viventia minùs diu delitescere, sed aperto Marte spiritum vitalem & cor ipsum invadere, sicq; morbum pestilentem celeriùs inducere.

Consuetudinis. De consuetudine præclara habet Theophrastus lib. 9. histor. plant. cap. 18. Omnium scilicet medicamentorum, (quorum nomine venena etiam comprehendebantur veteribus) vires debiliores in assuetis deprehendi comprobans, in nonnullis etiam omninò inertes: *Quidam enim tantum ellebori esitantes*, inquit, *ut manipulos totos consumant, nihil afficiuntur. Quod etiam Thrasias sæpius fecit, qui radicum peritissimus habitus est. Faciunt hoc idem pastores nonnulli &c.* Et paullò post: *Fit enim*, inquit, *ut pleraq; ex medicamentis, propter hominis consuetudinem, vim suam amittant, nec amplius medicamenta esse possint. Cum enim à naturâ acceptantur, devincuntur, conficiuntur, non amplius poni inter medicamenta debent, ut & Thrasias dicere solebat*, Rursus paullò inferiùs: *Quod autem consuetudo plurimum valet, multis sanè rationibus constat. Nam & absynthium pecora hujus tractûs pascere quidam negant, pontica autem nimirum pascunt ut pinguiora & pulchriora reddantur, & ut quidam volunt sine felle.* H. Theophr.

Idem comprobat Galenus 3. de simpl. med. facult. cap. 18. exemplo vetulæ cujusdam Athenienſis, cujus apud omnes percelebris tunc erat memoria, quæ quidem ab exiguâ cicutæ portione auspicata nullo detrimento ad magnam progessa est copiam: *Principio enim paucum exiguitate ipsa devictum est, at consuetudo naturale reddidit*, inquit Galenus.

Quod igitur de aliis venenis sic patet verum esse, idipsum de pestifero etiam seminario admittendum erit, propterea quòd & istud contingat esse cicutarium, napellinum, elleborinum &c. ut superiùs comprobatum fuit. Et in specie de peste idipsum asserit Julianus Palmarius

marius Pariſ. in lib. de febr. peſtil. cap. 15. ubi narrat experientiâ compertum eſſe, coriarios qui in mediâ Lutetiâ habitant rarò peſte corripi, quo etiâm tempore ea in Urbe ſævit crudeliùs: Et rationem ſubjungens hujus eventûs de ſententiâ aliquorum: *ſunt*, inquit, *qui Coriarios, ejuſq; farinæ homines, qui ſordida tractant, ægrè idcircò peſte opprimi contendant, quod omni fœtori aſſueverint, quorum non magnoperè à veritate abhorret opinio. Nam qui latrinarum & fœtidiſſimarum cloacarum purgamenta exportant, & quæ in Xenodochio ægrotantibus miniſtrant virgines, quaslibet crudeles peſtilentias (adeò ſcilicet omni graveolentiæ atq; aëris inquinamento adſueverunt) rident & deſpiciunt.* H. Palm. Sed magis perſpicuè Hieron. Montuus lib. 9. halos febr. c. 6. propoſitâ quæſtione, *Cur veſpillones pluresq; alii in peſte diu verſati illæſi evadant?* reſpondet *An eſt quod ab eo quod eſt conſuetum non fit paſſio, ut loquitur Avicenna quartâ p. Immò contingit etiam ut diſpoſitio venenoſa ex conſuetudine non venenoſa reddatur.* Iohan. item Bapt. Theodoſius in epiſtolis Medic. epiſt. 2. rationem reddens, *Cur arſenicum è directo cordis geſtatum â peſte præſervet? Admovetur*, inquit, *arſenicum cordi, ut paullatim venenis aſſueviat, ne poſtea à tàm impetuoſo peſtis veneno, cujus proprietas eſt è veſtigio cor petere, ſubitò corripiatur.*

Quæ cùm ita ſe habeant, in propatulo ſàm eſt, quod ſicut à conſuetis, ut norunt quoq; Philoſophorum ſcholæ, non fit paſſio, ità etiam ab iisdem tardior ſit paſſio, non aliam ob cauſſam, quàm quòd vis agentis aliquandiu hebetetur, & velut ſuſpenſa detineatur, atq; adeò in hominibus peſtilenti contagio aſſuetis idipſum diutius latitare interdum, tardiùsq; ſenſibilem actionum noxam inferre. Cumprimis verò lòcum habet hæc ratio in iis, qui fodinas metallicas perſcrutantur, hancq; ob cauſſam venenatis halitibus ſàm ſunt aſſueti; quippe & à peſtiferis halitibus metallorum æmulis, iidem minùs tardiùsq; afficientur.

Actionum. Insuper ad veneni pestilentis actionem seu celeriùs admittendam, seu aliquantisper inhibendam, non parùm facit dispositio hominis, aliud atq; aliud agendo venenum pestiferum excipientis. Si enim corpore quiescente idipsum suscipiatur, aut eo suscepto corpus quieti deditum sit, utiq; tardiùs ad actum deducetur & vires suas exseret, sicq; latitabit. Cujus contrarium contingit, si homo exercitiis intentus fuerit, dum admittit contagium, vel etiam eodem jam admisso; quod vulgò facere solent, in suspicione labis susceptæ antidotis propinatis ambulando currendove sudorem prolicientes, exagitando nimirùm hâc ratione humores spiritusq; vitiatos, ut ferociant immaniùs & exardescant, sicq; præsentissimum sibi reddentes contagium susceptum. Id enim si non ita vehementer commotum latitaret diutiùs, diuturnâ consuetudine remissius & naturæ familiarius redderetur fortassis, aut etiam discussum prorsus evanesceret: quandoquidem certum est apud Physicos: *caussam motam semper pernicioſiorem esse caussâ quiescente.*

Insuper loquentibus voce intensâ, exclamantibus, & cantantibus, pestilens seminarium, sicut minùs nocet, ita etiam vim suam tardiùs in iisdem videtur exserere. Et ratio est hæc: Locutio enim omnis, clamor & cantus, ut probant anatomici, peragitur forti exspiratione fuliginũe pulmonibus per asperam arteriam, & elisione per rimulam laryngis, quæ glottis nuncupatur, & eò quidem fortiore, quò vox edenda intensior. Tali itaq; exspiratione, cùm sonus aërem ambientem violentiâ quâdam feriat ac propellat, si non abigitur simul halitus pestifer, is saltem remissiore impetu intra corpus, succedente inspiratione suscipitur, & sic procul à corde detinebitur. Insuper iteratâ hâc vocis contentione, & exspiratione continuâ vix fieri potest, quin tantillum de halitu suscepto dissipetur, sicq; vis ejus paullatim atteratur,

tur, quæ ob id tardiùs ad cor, datâ occasione, pertinget; Atq; adeò latitabit sæpè per non breve temporis intervallum. Sed & hausto contagio, si quis illicò ad sternutandum se commoverit aliquo pulvisculo, aut exsufflationem, excreatum, tussimve intensiorem voluntariè in semetipso concitaverit, plurimum habiturus est subsidii, si non ad excutiendum id quod admissum est, saltem ad retrahendum versùs superficiem corporis, ut in loco remotiore à corde tardiùs perniciem inferat. Ad eandem intentionem, ni fallor, etiam conducet, præsertim si quis in locis infectis versari velit, strictiore indumento pectus & thoracem, unà cum aliquâ parte abdominis, compressum gerere; hâc siquidem ratione exspirationem continget inspirationi prævalere, quæ non ità profundum largitur ingressum halitui pestifero, obq; id actionem ejus in cor, spirituum vitalium officinam, retardat.

Sed quid si etiam dormientibus venenum pestilens dixerimus minùs profundè admitti, & admissum diutiùs ab operatione venefică feriari, quàm vigilantibus? cùm tempore somni superficies corporis, quâ aditus præbetur halitui pestifero, sit frigidior ac densior, calor item inibi languidior, spiritusq; in sanguine velut densati & constricti, unde poris & vasis cutaneis, si quid admittatur, diutius hæret: Nares quoq; muco ut plurimùm obstructæ, quin etiam os in iis, qui secundùm naturam se habent, ferè occlusum, non minùs quàm oculi: Inspiratio denique ipsa minor exspiratione, tùm ob majorem copiam fuliginum expellendarum à spiritibus circa cor concentratis, tùm ob quietem facultatis animalis, quæ alioqui thoracem dilatando inspirationem reddere solet ampliorem. Quod tamen intelligendum est cæteris paribus, nisi scilicet vigilantes aliis subsidiis prudenter sibi prospiciant, quod nequeunt facere dormientes.

Idem

Idem judicium de usu Veneris, cui vel indulgeant homines, vel ab eâdem abstineant, postquam seminarium pestilens intrà corpus admisêre, sive id factum esse suspicentur, sive non. Ut enim in illis ob corporis universi exagitationem & effervescentiam celeriùs sese id exserit enecatq; : Ita in his contrà ob quietem spirituum & sanguinis omniumq; humorum torpescit & latitat diutius, antequam in apertum erumpat.

Constitutionis corporis actidentariæ.

De hominibus autem jejuni frequenter stomachi, aut probè continuoq; quasi exsatiatis, quid attinet dicere? Cùm in confesso sit apud omnes & experientiâ comprobatissimum, eos, qui cibis quibuscunq; se refecêre, nedum salubribus & venenatæ qualitati adversantibus, tardiùs pestilenti morbo affici, quàm jejunos & vitam nimis sobriam agentes. Hinc etiam Cornelius Celsus Latinorum dictus Hippocrates lib. 5. cap. 27. *Omnis serpentis ictum, & jejuni & jejuno magis nocere arbitratur, utilissimumq; esse, ubi ex anguibus metus est, non antè progredi, quàm quis aliquid assumsit.* Et ejus ratio est: Siquidem ventriculo & vasis halituosâ alimenti, quod concoquitur & jam concoctum est, substantiâ undiquaq; refertis, non ità promptè aut liberè ad cor devehi potest halitus pestifer, corpore noviter susceptus. Sed nec ipsæ partes corporis alimento quadamtenùs exsaturatæ, ità ad se pellicient id, quod corpore nuper susceptum est, quàm alimenti etiamnùm indigæ. Insuper spiritus, quorum substantia continuò difflatur & dissipatur, restaurati ac confortati, sic resistunt potentiùs halitui pestifero, eumq; à se propellunt longiùs, & propulsum enervant in partibus à corde remotioribus. Quibus sanè rationibus impulsi empirici circumforanei (obiter id subjiciendo) quotiescunq; ad commendandas suas antidotos, quas divendunt, venenis interdum vescuntur, spectante vulgo, id non faciunt nisi ventriculo probè oppleto, & quidem cibis pinguioribus, ut butyro, oleo-

oleove copioso; ostentatione tamen peractâ revomentes omnia in angulum à vulgo remotum. Quin & chymiatrorum aliqui, cum secretiora sua seu narcotica & stupefacientia, seu alia naturæ humanæ, occultè licet & insensibiliter, infensa, aliis probata reddere satagunt, iidemmet haut verentur bonas eorundem doses ingurgitare, ventriculo scilicet ac venis probè priùs oppletis: Immò etiam eorum qui talibus uti debent, libidini omnem relinquunt victûs rationem, pleniorem, crassiorem, viscosiorem, aliisve modis vitiosissimam, ut sic repletis universi corporis vasis non ità confestim inde noxa percipiatur, quod fieret, si exquisita diæta cuivis morborum generi conveniens talium medicamentorum usui conjungeretur: Tandem tamen noxa ita se exserit, teste, proh dolor, experientiâ, ut iidem homines affectus incurrant immedicabiles. Tantùm verò refert, ut aliquis exsatiato potiùs ventriculo, quàm jejunus pestilenti aëri se committat, ut etiam iis qui intemperantiùs antehac vixêre, consuetam in cibo & potu quantitatem Hippocratis & omnium medicorum judicio, non liceat illicò mutare ex toto, citra periculum seminarii pestilentis, citiùs & partes corporis minùs solito exsaturatas ingressuri, & versùs cor penetraturi, siquidem *omnis subitanea mutatio, etiam in melius, noxam infert*, teste experientiâ. Quin & corpore non evacuato, venisq; omnibus oppletis, etsi majus sit periculum à pestilenti contagio jam suscepto, ob fomitem copiosiorem putredinis venenosæ, id tamen tardiùs se exseret interdùm ob molem materiei, cujus major est resistentia, atq; adeò latitabit aliquantisper citra noxam evidentem.

His omnibus adjungenda est dispositio corporis, si non innata, de quâ superiùs fuit sermo, saltem arte introducta, cujus beneficio aliquis venenatæ qualitati fortiter resistit; ut si quis victu utatur, tùm aliis venenis, tùm pe-

 stilen-

silenti qualitati maximè adversante, si item alexipharmacis sese præmuniat. Sic enim si non superabit prorsus vim veneni, saltem tardiùs eam experietur. Hinc Galenus refert in lib. de theriacâ ad Pisonem cap. 16. Mithridatem Ponti Regem isto antidoti genere, quod posteà ab ipsius nomine Mithridatium fuit nuncupatum, talem corpori suo dispositionem induxisse, ut sumpto veneno, licet præsentissimo, haut posset mori: Verba Galeni hæc sunt, Martino Rota interprete: *Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt, non assumptâ theriacâ, quæ nondum erat, sed aliâ quapiam multiformi antidoto, mithridatica de illius nomine dictâ, non potuisse sumpto veneno mori, quoniam sic illius membra temperaverat, ut abs re noxiâ pati non posset. Hoc autem contigit, quo tempore bellum cum Romanis gerens à Pompejo profligatus, atq; in extremâ fortunâ constitutus, illæsus è vita decedere festinaret. Hausit itaq; venenum, & plus quàm satis esset ebibit, nec tamen ipse mori potuit: Filiæ verò ipsius, quæ cum patre vitam finire prorsus decreverant, atq; ideò ex eodem quoq; veneno hauserant, celeriter occubuisse tradunt, Mithridates igitur cùm mori tardaret, eò quod antidotus, quam præsumserat venenum redderet irritum, unum ex amicis suis nomine Bistocum vocavit, cui mandavit, ut se jugularet. Is autem opus veneni ferro absolvens, Mithridatem violentâ morte confecit.* H. Gal. de Mithridate: quem sanè ab assumpto veneno mori tandem potuisse haut negaverit aliquis, ut nec Galenus negat, sed veneni actionem inhibebat aliquandiu, atq; adeò mortem retardabat antidotus assumpta, quod tunc erat contra votum Mithridatis. Post eum Imperatores Romani, Marcus Antonius, Nero, & alii, præsertim qui timebant sibi à venenis, simili antidoto, aliquibus saltem immutatis ab Andromacho, *theriacâ Andromachi dictâ*, frequenter usi sunt, ad corpora sua à venenis præmunienda, eventu felicissimo. Quo nec defrauda-

fraudata fuit mater Neronis Imperatoris, quam ipse ter veneno tentavit, sed frustrà, cùm antidotis (dubio procul theriacâ) se præmuniisset, ac proinde aliam ejus interimendæ viam postea iniit, referente Suetonio in Nerone. cap. 34. Et quantum possit talis providentia ad infringendas venenorum vires, etiam simplicioribus remediis, testatur historia, quam ex Athenæo lib. 3. deipnosophist. adducit Matthiolus com. in Dioscorid. lib. 1. cap. 131. de quibusdam nebulonibus à Principe Ægyptio, ut facinorum perpetratorum luerent pœnas, morti adjudicatis, qui cùm aspidibus juxta Ægyptias leges in prædam exponendi essent, in itinere, dum ad bestiarum pabulum ducerentur, citrium comederunt, quod caupona quædam vicem eorum dolens illis dederat: ii mox cum in theatrum descendissent, & ab immanibus ferocissimis q; feris demorsi essent, nihil sanè molestiæ senserunt. Quâ de re Præfectus non parvam cepit admirationem, & à militibus diligenter inquirens, an antidotum aliquod præsumsissent, certior factus est, citrium tantùm, ex integrâ simplicitate donatum, eos comedisse: postridiè verò jussit uni præberi, alteri denegari, & denuò trudi in theatrum ad supplicium. Quo facto, qui comederat demorsus nihil incommodi passus est, alter verò à ferâ ictus undiq; lividus factus confestim interiit.

Demùm nec illud silentii fano decet committere, quod in podagricis & arthriticis, iis item qui ulceribus tentantur in aliquâ corporis parte, seu naturâ seu arte excitatis, ut sunt fonticuli, qui item hæmorrhoidalium venarum fluxum patiuntur statis intervallis, cum virium tolerantiâ, quod, inquam, in iis saltem detineri possit per aliquod tempus labes extrinsecùs suscepta, antequam ad cor deducatur, si non prorsus eliminari, judicio virorum

præstantissimorum: propterea quòd in talibus hominibus partes internæ nobiliores omnem labem & impuritatem ad hasce ignobiles partes eructare consueverint; quod si plenariè non præstiterint aliquando, lues pestifera, jam pridem licet suscepta & diutiùs detenta, ad cor tandem pertinget, ipsumq; oppugnare incipiet. Idem judicandum de virginibus & fœminis, quibus menstruæ expurgationes ritè succedunt, aut etiam excrementum seminale, quando ejus copia præstò est, debitis modis excernitur.

Tali quippe materiei redundantis motu versùs corporis emissaria ordinariè provocato, nec impedito, venenum pestilens, si quod admissum fuerit, cordi velut prærepturn sæpè detinetur per non breve temporis spatium, antequàm cor ipsum invadat.

CAPUT

CAPUT V.

QUARTA RATIO, A MODO *immissionis seminarii pestilentis.*

VAriat actio omnis naturalis, non solùm pro varietate agentis & patientis, quibus juxta se positis & unitis, nisi quid intervenerit, necessariò fit actio, ut docent Physici; sed etiam pro diversâ constitutione eorum, quæ extrinsecùs ad illam actionem concurrunt, sive ut caussæ sine quibus non, sive aliis modis: quippè cum certum sit, fabrum non operari simpliciter ex suâ arte, tanquam habitu, hoc vel illud opus producendo, sed secundùm diversitatem & dispositionem organorum, quibus utitur, ut malleï, serræ, terebræ, securis &c. nec non aliorum quorundam extraneorum. Insuper varia quoq; editur actio, pro diversâ applicatione agentis ad patiens, quod nôrunt manuarij quoq; opifices, apud quos alio atq; alio modo securis aliudve instrumenti genus applicitum materiei, cui forma artificialis introducenda est, diversos plane effectus & res toto genere differentes producit, nedùm citiùs aut tardiùs, perfectiùs aut imperfectiùs, unam aliquam formam materiei oblatæ introducit. Ita prorsus se res habet etiam in seminario pestilenti & ejus actione in corpus humanum, cui applicatur seu immittitur: Nimirum ei immissum nunc citiùs & expeditiùs, nùnc tardiùs hebetiùs q; labem infert, prout aliorum quorundam concursu vis ejus diversimodè exacuitur aut hebetatur infringiturq;. Ea autem præ aliis dicerem esse, tùm qualitates quasdam & affectiones corporis intermedii, per quod immittitur contagium pestiferum hominibus, tùm ipsiusmet immissionis tenorem ac impetum, diversimodè commensuratum aut

proportionatum ad principium passivum in corpore humano, quod pestilenti contagio inficitur.

Si immittatur seminariũ pestilens per medũ crassius.

Antè omnia enim quod ad corpus intermedium attinet, sicut in aurâ tenuiore halitus omnes cujuscunq; generis promptiùs celeriùsq; commoventur, & undiquaq; expanduntur, teste experientiâ; sic per aërem crassiorem devectus halitus pestifer lento duntaxat passu, & ingredietur corpus humanum, & partes ejus, inprimisq; venas, arterias & meatûs alios, pervadet: cujus rei ratio è Philosophiâ naturali est hæc; quòd talis halitus naturam participet aëream, aëris autem motq; naturalis sursùm tendat, non deorsùm, aut ad latera; ad has enim loci differentias non nisi violenter commovetur. Atqui omnis motus violentus sicut ab initio est velocior, ita circa finem evadit tardior, & eò quidem tardior, quò medium, in quo peragitur, ab ejus naturâ fuerit alienius, id est, crassius aut densius: Contrà omnis motus naturalis de loco in locum circa principium est tardior & in fine velocior, ut manifestissimè colligitur ex Aristotele 8. Physic. tex. 76. 1. de cœlo text. 88. & alibi, idemq; pulcherrimis exemplis declarant Physici recentiores. Auget tarditatem motûs, crassior consistentia ejusdemmet halitûs pestiferi, quam non potest non adsciscere in aëre crassiore, ob naturalem corporum talium sympathiam. Et quidni halitûs corpulenti devectio per aërem crassiorem in corpus humanum esset tardior ac imbecillior, cùm species sensibiles, quarum natura non est corporea sed spiritalis, ut sonus & color, in suâ sensoria, aures nempè & oculos, per medium crassius & densius, experientiâ teste, longè imbecillius deferantur, quàm per medium tenuius & rarius; quâ de causâ hyemali tempore hauquaquam ita longè prospicere, aut è locis remotis audire valemus, ut in æstate. Quin & sapor, interventu humoris crassioris linguam imbuentis, aut tunicæ eandem

succin-

succingentis densioris, odor item objecto naribus internis humore vaporeve crassiore, ipsæ denique tactiles qualitates per cuticulam callosam, suis itidem sensoriis, non nisi obtusiùs & imbecillius offeruntur. Insuper si aër, cujus interventu seminarium pestilens immittitur corporibus hominum, sit frigidior, aut etiam frigidissimus, ut tempore hyberno, quis dubitabit idipsum non modo torpidius inde redditum iri, virium'q; remissiorum, sed etiàm minore impetu cordis penetralia subiturum esse? sicut è contrario ob caliditatem exacui potest & rapidissimo motu in interiores corporis recessûs devolvi? Frigidius.

Quid si etiam ipsum medium per quod fertur sit spacioſius? Annon per intervallum longius, inter terminum à quo & terminum ad quem, motus hic futurus est tardior, præsertim in fine, utpote cum sit violentus, per brevius contrà celerior, quippe cum esset in termino acquisito, antequàm vel vis impellentis minuatur, vel medii resistentia sese incipiat recolligere, ut docent Philosophi naturales. Per medium item amplius & undiqua'q; patens, quale est aër liberior infectus, halituosæ materiei deductio, ob naturam ejus dilatabilem, annon futura inæqualior, tardior & minùs expedita, quàm per medium angustum & concluſum, ut in aliquo conclavi aut hypocausto pestiferis halitibus oppleto? Longius. Amplius & Liberius.

Sed ponamus insuper aërem, quem transierit halitus pestifer corporibus hominum illapsus, ignibus & odoramentis, tanquam antidotis, sordidæ putredini, & per consequens pestilenti contagio repugnantibus, fuisse correctum ac expurgatum: quis inficiabit, vim ejusdem halitûs haut leviter tunc infringi, sic'q; ad inferendam noxam, si quando corpo ſubierit, hebetiorem reddi? Quin & gravibus quibusdam ac fœtidis odoribus, siccis tamen & putredini resistentibus, aëre referto, ob vim discussoriam talium rerum odoratarum, aut saltem insignem Correctum & expurgatũ. Gravibus quibusdam odoribus refertum.

ignem siccitatem, putredini resistentem, halitûs pestiferos per hunc aërem corporibus hominum illapsos infringi, & velut marcescere, nec ita potenter aut expeditè vim suam exserere, verisimile est. Hanc enim ob causam, referente Levino Lemnio lib. 2. de occult. natur. miraculis cap. 10. *Jampridem homines plebeji in Belgio corii cornuumq; præsegmina atq; ossa subuvida in ignem conjicere consueverunt, eoq; nidore ædes suas, casas ac tuguria suffumigare, quò morborum contagia dispellant, ac se suasq; ædiculas à pestilenti aurâ tutas præstent: atq; hinc manasse proverbium, Cornua ibi aduri, quò scilicet, significetur, loca ista ceu peste morbisq; contagiosis infecta esse evitanda.* Sed & Julianus Palmarius Parisiens. Medicus lib. de feb. pestil. cap. 15. *Parisiis*, ait, *compertum esse, coriarios in mediâ urbe habitantes rarò peste corripi, etiam eo tempore, quo pestis in eâ urbe sævit crudeliùs, propterea quod graveolens vapor, quo tota vicinia istorum coriariorum perfusa est, pestilentem aërem vix intrò subire in eorum casas patiatur, sed eum potiùs repellat seu abigat.* Quòd si ergò aër fœtidis etiam odoribus refertus vix admittit seminaria pestifera, ob rationem allatam; quidni, si admiserit, inhibere aliquo modo poterit eorum impetum, & sic penetrationem in interiores corporis humani recessûs, ipsamq; adeò actionem maleficam retardare. Simile quid refert Thomas Jordanus tractat. 3. phænomen. pestis cap. 9. de hircis olidis, *Eos à multis ali in ædibus cœlo pestifero, quia experientiâ comprobatum sit, eos à peste sic præservari:* Et rationem reddit Palmarius, loco allegato: Siquidem hircus gravi suo halitu tetroq; nidore de se profuso impleat omnia, sicq; omnem aëris vim maleficam repellat. Si autem repellit, ergo multò magis inhibere poterit motûi halituũ pestiferorum, ne ita confestim & irrefractis viribus in cordis penetralia irruant. Quâ fortassis ratione impulsi nonnulli in stabulis benè mundis juxta equos cubilia sua col-

sua collocare instituunt, experimento ipsis haut fallace, se à pestilenti contagio sic meliùs præservari.

Si immittatur impetu remissiore.

Quod ad impetum & tenorem immissionis sive applicationis seminarii pestilentis ad corpus humanũ, multò citiùs ac fortiùs id offendit judicio Marsilij Ficini lib. antid epidemiar. cap. 24. (M. pag. 371.) *Si influentia Martis, ut ipse loquitur, cum diverso evenit, & modo contrario, cumq; Saturnino influxu se quidem eò tardiùs demonstrat:* Quorum verborum sensus videtur hic esse: si influentia Martis fit cum planetâ aliquo diverso, ut cum influentiâ Lunæ, quæ utrâq; qualitate, nimirum frigiditate & humiditate adversatur Marti, tunc citiùs ac fortiùs operari venenum pestilens: siverò influentia Martis fit non cum diverso planetâ, (scilicet quoad utramq; qualitatem) sed aliquo modo simili, nempe quoad unam qualitatem, & quidem cum influxu Saturni, qui caliditatem Martis infringit magis quàm Jupiter, cum quo itidem Mars similitudinem aliquam obtinet ratione caliditatis, tunc tardiùs operari. Id enim sic explicare videtur ipse Ficinus cap. 6. antid. epidem. (M. pag. 311.) ubi in constitutione pestilenti periculosum statuit esse tempus, conjunctionem Saturni cum Lunâ, sed periculosius, conjunctionem Lunæ cum Marte. Quæ sanè interpretatio verborum istius Autoris num ejus menti & veritati respondeat, viris doctis lubens committo dijudicandum. Interim videtur coincidere ista assertio cum illâ, quam suprà proposuimus cap. 3. hujus disquisitionis, nempe seminarium pestilens frigidius existens tardioris esse operationis, quàm id quod calidius; siquidem Saturni conjunctio cum Luna frigiditatem satis intensam inducere videtur Astrologis, Martis autem cum Lunâ levem duntaxat calorem, aut potiùs teporem, cujus ratione ad putredinem & contagionem lapsus est admodum facilis. Insuper sicut globi ferrei plumbeive, tela, lapides & simi-

lia, diversis motibus homini alicui immissa, eum ipsum aut interimunt, aut non interimunt, lædunt aut non lædunt; simili ratione etiam halitus pestifer celeriore tardioreve periculo corpus humanum invadit, prout intensiore aut remissiore motu eum immitti seu applicari contigerit. Immitti autem potest ac solet, vel impulsus ab alio, vel attractus. Impellitur variis modis, inprimis tamen exspiratione ab hominibus infectis, quorum consortio fruimur, ut & ventis adversus nos spirantibus, præsertim calidioribus & humidioribus, aut saltem tepidis, qualis magnâ ex parte est australis. Attrahitur, tùm inspiratione nostri corporis, tùm ab igne cui fortè assistimus, dùm halitus pestifer in loco aliquo infecto oberrans ad ipsum allicitur. Quid si igitur impulsio fiat lentâ aut exiguâ exspiratione, ut insensili illâ transpiratione eorũ, qui infecti sunt, per poros & arterias in habitu corporis, aut per os & nares, thoracis ac pulmonis minore contentione adhibitâ; si insuper citra concursum alicujus venti aut saltem frigidioris & siccioris, ejus denique non directè, sed è latere hominem aspirantis; Quid si item attractio ab homine sano non quidem manifestâ inspiratione thoratis ac pulmonis peragatur, sed inspiratione insensili per habitum corporis, nullo præsenti igne, qui attractionem celeriorem reddat, aut intendat; Si item inspiratione pulmonis aut thoracis non ad cor illicò devehatur halitus pestifer, sed ad cerebrum aut alias partes à corde remotiores: Cui dubium esse potest, eundem quâvis ratione, seu appulsum, seu attractum minore impetu in corpus hominis alicujus sani deferri, atque adeò tardiùs cor ipsum, vitæ domicilium primarium, invadere, quàm si aut vento australi è directò aliquem afflante, aut pulmonum thoracisque exspiratione fortiore ab hominibus infectis, præsertim in agone, propelleretur, aut etiam plenâ &

nâ & amplâ inspiratione hominis etiamnum sani, inter ignem & ægrotantem in conclavi aliquo constituti, attraheretur, & sic intra corpus admitteretur. Sed ponamus insuper jàm remotis etiam hominibus infectis, ab excrementis eorundem, ab emplastris, unguentis, & similibus, quibus ipsi usi fuêre, halitum pestiferum, tùm aliis viis, tùm inferiore præsertim corporis ostio, inferri: Immò peste prorsus cessante in aliquo loco, lectisterniis, vestimentis, aliisq; fomitibus, occultatum seminarium pestilens, hominibus sanis qui talia contrectare, aut corporibus suis quavis ratione applicare instituunt, communicari: quis dubitabit, periculum luis futurum minùs præsentaneum, quàm si ab ipsismet ægrotantibus immediatè, aut etiam cibis permixtq; halitq;, ori & ventriculo inducereturr? Sed & minq; periculi iminebit, si fomes aliquis ab alio fomite, *exempli gratiâ* pannus à panno, infectus, luem homini communicaverit, quàm si homo etiamnùm vivens, peste tamen infectus, alium hominem immediatè contaminaverit; quippe cum corpus vivens duo in se contineat, quorum ratione luem propagare possit potentiùs, calorem nempè internum & motum, cujus utriusq; ratione halitus pestifer fortiùs possit commoveri & in aliud corpus transmitti; corpus autem vitæ expers, ut pannus, per se nullum in se contineat calorem actualem aut motûs aliquod principium, nisi aliunde sibi communicatum.

Quid si insuper tardiùs dixerimus operari seminarium pestilens cibis permixtum, exempli gratiâ lacti, pani, aut similibus, quàm inspiratione attractum, licet citiùs quàm poris cutaneis admissum? Hinc enim Cornelius Celsus lib. 5. cap. 27. *Non tàm facilè*, inquit, *his opitulari est, qui venenum vel in cibo, vel in potione sumserunt*, primò, *quia non protinus sentiunt, ut ab angue icti, ita ne succurrere*

currere quidem sibi statim possunt, deinde *quia noxa non à cute, sed ab interioribus partibus incipit.*

Demum si vera est sententia Astrologorum & Medicorum magni nominis, qualitatem pernicioſam à cœlo & corporibus cœlestibus aëri aliquando immitti, cùm ea naturæ sit magis spiritualis, obq; id valdè penetrantis, haut facilè negari poterit, sicut talis pernicies celerrimè sese exerit in corporibus viventium, qui aëre isto assiduè & copioſè fruuntur, ita è contrario vim deleteriam ab elementis & corporibus elementaribus in hominem transfusam longè minoris futuram esse efficaciæ, hacq; de caussâ diutiùs citra manifestam actionum consuetarum læsionem aliquando in eodem latitare posse.

CAPUT

CAPUT VI.

SENTENTIÆ NEGANTIS

Autores & confirmatio.

QVanquam veritas sententiæ affirmantis in superiobus satis operosè ac solidè â nobis fuerit comprobata, fusiùsq́, ni fallor, & speciosiùs comprobari posset: Haut defuêre tamen, nec etiamnum desunt, qui negativam ambabus, quod dicitur, ulnis amplectantur, & ad ravim usq́ tueantur; tùm scriptis in publicum editis, atq́ adeò rationibus considerationè dignis, tùm etiam opere ipso, seu praxi quotidianâ, in regimine Reumpublicarum.

Scriptis quidem editis præcipuè hanc opinionem promulgavit J. Antonius Saracenus Galliarum Medicus celeberrimus in lib. de peste cap. 6. (pag. 147.) ubi peregrinos quidem recens locis è pestilentibus convenientes in civitatem admitti recipiq́ consultum non esse arbitratur, neq́ adeò tutum cum iis versari communiterq́ ac promiscuè habere commercia, tutiusq́ fortasse id futurum diebus aliquot elapsis, non autem dierum hebdomadis, quod ferè plerisq́ locis asolet, sed ipsius, rectèq́ omnium sentientium judicio, duriùs quàm ex æquo & bono, inquit Saracenus. *Nec enim vero propinquum est, barbâ capillisq́ detonsis, ac veste omni subindè permutatâ (quod nec usquàm nec unquàm non faciendum est) venenatam materiam in vivente corpore latêre tamdiu posse effectu nullo. Tantisper enim dum innati caloris vi corpus subsistit, nullâ intermissione cum veneno, tanquàm cum hoste infensissimo, pertinaci maximè pugnâ certare fit verisimile, quoad venenum ipsum planè propulsarit & evicerit, aut extincto ipso animal intereat. Nec verò audiendi, qui τῶν ὐδροφόβων virus contra objiciunt: Hi* J. Antonius Saracenus.

enim in opinionis incertæ tutelam cum similia velint, sanè quàm dissimilima inducunt. Nam ut demus illis, rabidi canis morsum plures non modò dies, verùm etiam menses, & annum quandoq; integrum clàm in corpore delitescere, priusquàm longiùs latiùsq; serpat in partes principes, hujus tamen atq; illius diversa est substantia, nec sedes eadem. Hujus enim vis hebetior, ac in crassiore densioreq; materiâ inhærescens: quâ ex causâ cohibetur, nec nisi nativi caloris ejusq; copiosi magnâ vi excitatur: quin & ipsum, ut imbecille admodum, nec rara quidem epidermis altius penetrare sinit, nisi fortè vel scissa, vel alioqui lacera. Illud contrà multò tenuius, acrius, ejusq; vis & efficacitas ea, ut non modò ἐπιδερμίδα, sed & cutem ipsam, quantumvis validam ac densam, cunctam ocyssimè permeet, penitusq; introsubeat, multò vehementiore atrocioreq; offensione atq; cruciatu. Hoc brevi atq; ex facili sese quoquoversum insinuat: Illud segniùs, nec nisi interpositâ morâ longiore suum tandem virus declarat, suisq; sese prodit Symptomatis. His rationibus efficitur, ut pestilentiæ seminarium posse quidem imprudentiùs nobis corpore circumferri diffitendum non sit, & aliquantisper duntaxat, non item pluribus dierum hebdomadibus, nedum tanto tempore, quanto ex rabidorum morsu venenum. H. Sarac.

Hier. Mercurialis.

Ei calculum suum haut denegare videtur Hieronymus Mercurialis Italorum excellentissimus in lib. de peste cap. 14. ubi proposito problemate, An possit venenum pestilens in fomite conservari, sine læsione illius corporis, cui adhæret fomes; ut si quis habeat vestem infectam, & quotidie gestet, an in eâ veste pestis diu possit conservari absq; læsione illius hominis: Respondet: *Venenum quidem pestiferum conservari posse in excrementis & indumentis hominum sine ipsorum læsione, sed nequaquam posse in viventibus particulis. Hoc autem,* inquit, *ita confirmo, quia vapor, si in viventibus particulis conservaretur, aut esset efficax aut inefficax? si efficax esset, cùm sit in corpore calido, procul dubio & in agendo & in repatiendo aliquam læsionem*

sionem faceret; si autem esset inefficax, quemadmodum non ageret in particulam viventem, ita etiam non ageret in proximos. H. Merc.

Eidem sententiæ visus quoq; est patrocinari acutissimus Andreas Cæsalpinus in lib. 1. quæst. Medic. 11. sub finem, hac verborum serie: *Cum qualitates quædam actu, quædam potestate sint: Actu quæ quamprimum agunt, cum tetigerint: potestate quæ egent priùs, ut reducantur ad actum: In utroq; genere venena reperiuntur. Actu quidem in aëre pestilenti & corporibus putridis, & quibuscunq; evaporationibus malignis, & animalibus pleriq; venenum ejaculantibus, aut ictu, aut salivâ, aut vapore; quamprimum enim afficiunt & corrumpunt, excepto cane rabido, cujus virus aliquando per plures menses delitescit. Aquæ frigidæ potio recensetur inter mortifera à Dioscoride, quia summâ frigiditate actu existente interficit, cum tamen materia facilima sit alteratu. Potestate autem sunt pleraq; tùm venena quæ assumuntur, tùm alexiteria calida vel frigida, humida aut sicca.* H. Cæsalp. Andreas Cæsalpinus.

E Recentissimis Clarissimus Matthias Untzerus in catoptro pestilenti anno 1615. edito lib. 1. cap. 16. quæst. 2. discutiendum proponens, *An pestis contagium aliquandiu in corpore humano latitare possit antequàm in actum prorumpat, læsionemq; sensibilem inducat?* postquam recensuisset Autores & patronos sententiæ affirmantis, & inprimis argumentum à similitudine cum veneno canis rabidi, luisq; venereæ, in hæc tandem erumpit verba: *Nobis non placet hæc sententia, siquidem venenum pestilens longè discrepat à naturâ veneni canis rabidi & luis venereæ; quia hæc duo lentæ sunt activitatis, pestis verò venenum, ut experientia docet, summam adeptum est efficaciam ac operandi virtutem, & proinde citissimè lædit, & maturè rursùm tanquàm infensissimus naturæ hostis à calore nativo oppugnatur, & propterea tàm diu quietè delitescere non potest.* Johannes item Heckius Daventriensis in disput. unicâ de peste, determinatione ultimâ: *In cali-* Matthias Untzerus. Iohan. Heckius.

calidioribus, inquit, regionibus adeò timetur & exosa est pestis, ut nullum, nisi quadraginta dies eum detinuerint, eorum consortio admittant, quasi violentus ille spiritus tàm diu in sano etiam corpore detineri possit, & detrimento esse conversantibus: quam tamen curiosam & subtilem magis existimo, quàm necessariam diligentiam. Et Martinus Pansa in consil. secundo anti-pestifero German. edito, quæst. 7. *Haut admittendum censet venenum pestilens in corpore humano citra sensibilem noxam aliquo temporis intervallo detineri: Siquidem aut potens erit venenum parte aliquâ susceptum, aut impotens. Si prius, illicò vires suas exseret, symptomata aliqua præter naturam excitando, nec ita torpidum delitescet. Si posterius, utiq; nec hominem prius invadere, aut in eo detinere potuisset.*

Mart. Pansa

In hujus verò assertionis confirmationem videntur quoq; adduci posse argumenta, quæ proponuntur dubitandi gratiâ à Petro Carario circà illam quæstionem, *Utrum possibile sit actionem veneni ad aliquem præcisum terminum limitari?* 1. enim sic arguit: *Venenum administratum corpori habet potentiam ipsius corporis humani corruptivam, & patiens potest corruptionem recipere: Ergò quando administratur, pro tunc sive parvo tempore perficiet operationem sive corruptionem. Consequentia patet, quia agente potente, & subjecto disposito, necesse est ut fiat actio, si approximantur, Antecedens autem est Avicennæ 2. Canon. c. 4. dum dicit: venenum est quod corrumpit complexionem humanam, non cum contrarietate solùm, sed cum proprietate quæ est in ipso.* 2. Ita arguitur: *Sit A. venenum, quod nunc non interimit, sed interficiet anno elapso, secundum eos qui affirmativam tuentur. Ergò aliquid de novo producatur in A. quando interficiet, quod antea in eo non erat. Quo dato, cùm illud non possit esse nisi certa qualitas, quæro igitur, à quo illa qualitas producatur, sive sit caliditas sive frigiditas aut mala proprietas: Non potest dici ab A. quia nihil agit in se ipsum producendo aliquid quod non habet, nec secundùm totum nec secundùm partem. Neq; potest dici à caliditate nostri corporis, pri-*

Ratio 1.

2.

rius: primò quia nihil agit ultra gradum proprium, tùm secundò quia caliditas non est frigiditatis per se caussa productiva, tùm etiam tertiò, quia nihil intendit sui ipsius corruptionem, qualiter esset calor naturalis, si pro tunc esset ipsius venenositatis per se caussa productiva.

3. *Venenum administratum humano corpori, ei, & spiritui naturali contrariatur. Ergo necesse est, quod fiat actio. Aut ergò potentia veneni superabit potentiam caliditatis naturalis, aut è converso: vel æquabuntur aliqualiter; Non tertium, quia ex eis produceretur una forma media aliquo modo, ut ex frigiditate & caliditate ipsa tepiditas, vel viriditas, & sic nunquam fieret amplius venenum ad terminum, sed pro nunc venenaret: Nec secundum, quia tunc venenum converteretur in dominans, & sic finaliter nutriret corpus nostrum. Et confirmatur sic: Non minor est proportio totius caliditatis naturalis supra venenum corrumpendum & convertendum in tempore unius anni, quàm sit ejusdem supra paucam quantitatem in unâ die: sed pauca talis quantitas potest nutrire, ut dicitur 6.tâ 4.ti Canon. Avicen. tr. 1. cap. 2. in fine, de puellâ nutritâ napello. Et confirmatur ultimò, quia illud venenum efficietur assuetum naturæ, à quo amplius non patietur, ut sumitur 3. de simplici Medicinâ, distinct. 4. cap. 1. de illâ muliere, quæ ex assuefactione assumebat de jusquiamo sine nocumento quantitatem magnam.* H. Carar. 3.

Nec silentio prætereundum hic telum, quod ad sententiæ affirmantis parmam perfringendam in eâdem quæstione sibi ipsi objicit Franciscus Valleriola lib. 3. loc. commun. cap. 18. (M. pag. 870.) *Si veneni ea est natura,* inquiens, *ut totâ substantiâ animanti sit adversissimum, illiusq; substantiam nullâ sui mutatâ aut superatâ parte corrumpens, cujus merito totum eorum genus deleterion, & pestilens, vel autore Galeno (lib. 3. de temperam.) dici meruit; quî fieri potest, ut in corrumpendo animante moram venenum trahat, ac non potiùs ubi assumptum est, & in visceribus conditum, mox animal corrumpat? Quod enim adeò potens est, ut à virtute corporis domari,* 4.

aut vinci nequeat, (cujusmodi venenum est,) id sanè confestim exercere vim suam, seq; in actum deducere solet. H. Valler.

5. *Pro parte deniq; negante Viris quibusdam clarissimis hæc ratiocinatio videtur militare: Cùm omnes humani corporis partes sint permeabiles ac perviæ, si non materiei cuivis crassæ & corpulentæ, saltem aëreæ & halituosæ; omnes quoq; partes in corpore vivente suum habeant calorem à corde influentem: Impossibile ferè videtur halitum venenatum aut seminarium pestilens in aliquâ corporis parte hærere posse, quin deducatur in actum, præsente scil. caussâ suscitante & movente, nempe calore, nec non libero existente ad partes*

6. *interiores, cor quoq; ipsum, ingressu. Præterea aër externus corporis interiora subintrat, non modò per vias conspicuas & sensibiles, os, aures, nares, sed & inconspicuas, poros scil. cutis: quomodo ergò non deferet ad interiora seminarium luis pestiferæ poris inhærescens? Immò non tantùm subintrat interiora aër, sed & sanguinis massæ undiquaq; permiscetur, ut eundem ventilet & à putredinis contagio vendicet; quomodo non ἀναθυμίασιν νοσώδη etiam massæ sanguineæ communicabit? Et cum venis per frequentes anastomoses quasi continuæ sint arteriæ, quomodo non inficietur spiritus vitalis, adeoq; cor ipsum? præsertim cum totâ suâ indole & essentiâ venenum hoc vitæ infestum esse deprehendatur.*

Praxis politica

Opere autem ipso seu praxi politicâ idipsum apertissimè comprobatur iis in regionibus & Urbibus, ad quas non denegatur aditus hominibus è quovis loco infecto advenientibus, etiam nullâ factâ permutatione, aut innovatione vestimentorum, quibus tamen plerorumq; judicio pestiferum contagium inhæresçit, nedum præcedente aliquâ expurgatione corporis ipsius viventis, aut multorum dierum morâ in locis ab aliorum consortio remotis; id quod neutiquâm fieret, si contrariæ consuetudinis observatio, aut novæ alicujus legis promulgatio, circa hanc rem necessaria utilisve esse judicaretur.

CAPUT

CAPUT VII.

DISCURSUS J. ANTONII Saraceni pro sententiâ negante perpenditur.

QUoniam pro sententiâ negante & opinione vulgari Saraceni discursus præcedente capite allatus principem locum obtinet, & quasi palmam meretur; eum utique præ aliis considerandum & pro virili nostrâ eventilandum assumemus: utpote in quo multa occurrunt partim dubiæ veritatis, partim satis apertè dicam eidem impingentia. Antè omnia enim cùm asserit, non esse vero propinquum, venenatam materiam latêre tamdiu posse effectu nullo, in corpore vivente, quod nullâ intermissione cum veneno tanquàm cum hoste infensissimo pertinaci maximè pugnâ decertat; Idipsum sanè videtur admittendum. Verum effectus ille non semper erit ipsius veneni, tanquam superantis naturam corporis, unde actiones consuetæ lædantur, homoque ægrotare incipiat, quâ ratione venenum in apertum judicatur prorumpere: Sed interdùm ipsius est corporis viventis; seu atterentis subitò & abigentis prorsùs à se venenum, citra manifestam læsionem actionum, seu ad partem duntaxat ignobilem idipsum propellentis, ubi ob distantiam à corde, caloremque debilem (qui ipsi inducias largitur) vis ejus quasi sopita latitat, citra sensibile aliquod incommodum. Id enim aliquammulti experientiâ comprobant tempore constitutionis pestilentis, quibus bubones & carbunculi erumpunt in partibus à corde remotis, citra ullum alium morbum, aut actionum consuetarum læsionem, etiamsi tandem aliquando ægrotare incipiant, & quidem majo-

Circa sententiam Saraceni considerandа. 1.

re haut rarò cum periculo, quam iis, qui ab initio statim decumbere ceperunt. Quin & reperiuntur homines peste olim affecti cum bubonibus in inguine, qui subsequentibus constitutionibus pestiferis hausto rursus seminario pestifero, eodem in loco dolorem & bubonum quasi initia percipiunt: Et, quod magis admirandum, qui bubones gallicos aliquando fuêre perpessi, iis quoque in locis simile quid tempore pestis experiuntur, absque ullâ aliâ affectione aut ægritudine. Evenit autem idipsum, si natura corporis adhuc sit robusta, & viribus, vel potiùs antipathiâ, multùm præpolleat, venenata verò materia minoris sit resistentiæ ac torpidior; quod sanè in præsentiâ comprobare intendimus. Interim ultrò largimur aliis, nimis frequenter, proh dolor, non hunc effectum caloris superantis & velut triumphantis in corporibus seminario pestilenti affectis sese exserere, sed potiùs veneni prædominantis & exsultantis, miserabili hominum cum jacturâ & internecione: quando scilicet vis agendi & resistentia corporis est hebetior, veneni autem intensior ac potentior.

2. Sed quid si etiam in dubium revocemus, quod sibi sumit Saracenus, corpus vivens nullâ intermissione cum veneno, simulatque susceptum fuerit, tanquam hoste infensissimo pertinaci maximè pugnâ certare? Quotiescunque enim utriusque vis extiterit languidior & obtusior, nempè tùm corporis cui inflictum est venenum, tùm ipsius veneni, fortassis tunc etiam ab initio nulla excitabitur pugna, quia scilicet nec halitus pestifer, in aliquâ parte aut humore frigidiore torpescens, illicò lacessat calorem vitalem, nec ipse calor debilior, utpote perterritus & succumbens, ausit aggredi talem materiam hostiliter, donec tandem serpendo vires acquirat contagium, in corpore præsertim vitiosis putridisve humoribus referto, sicque

ſicq; lacesſendo calorem corporis viventis ad pugnam invitet provocetq;. Id enim fieri poſſe aliis venenis corpore vivente ſuſceptis, ſuprà demonſtratum eſt luculenter, & de veneno canis rabidi non modò ipſe concedit Saracenus, ſed etiàm medici omnes, & experientia, ſuffragantur. Speciatim verò quod in morbis peſtilentibus tale quid eveniat, teſtantur Medici non infimi ſubſellij, cum cauſſam reddunt, ob quam haut rarò hominum peſte laborantium urinæ ab initio ſtatim morbi ſint ſimiles ſanorum urinis, in progreſſu autē reddantur deteriores, idq; majore periculo, quàm ſi ab initio fuiſſent tales: Id nimirum fieri, quia natura perterrita & ſuccumbens nullo modo attentet inſurgere contra morbum, ſed convertat ſe ut corpus gubernet velut in ſanitate, ut loquitur Petrus de Abano in conciliatore differentiarum philoſ. & medicar. differ. 94. ſub finem, ubi etiam allegat aphoriſmum 48 ex antiquo Medico Damasceno, qui eâdem de cauſſâ urinam ſibi ſimilem permanentē in morbis diuturnis judicavit eſſe lethalem, quia ſcilicet naturâ materiam morbificam relinquente, nec in eam agente ampliùs, ipſe morbus invaleſcat, & ſic ægrotantem perimat. Progreſſu autem temporis in morbis peſtilentibus urinæ redduntur deteriores, quia natura illa imbecillior & ſegnior medicamentis alexipharmacis, quæ exhibentur, excitata & adjuta, halitum peſtiferum invadit tandem & profligare intendit, etſi irrito utplurimùm conatu & fruſtrà. Hujus rei confirmationem ſi quis fortè requiſiverit uberiorem, præter rationem allatam, en experientiam & autoritates. Experientiam rurſùs dabit ventriculus, qui non promiscuè omnibus gaudet eſui aptis, ſed cibis duntaxat certi generis, quos appetit, attrahit, comprehendit & concoquit feliciter, cum contrà averſetur multa alia, & non niſi cum nauſeâ, interdùm etiàm concomitante lipothymiâ, quosdam cibos admittat, eorun-

demq; ob id concoctionem vix aggrediatur. Autoritas est Galeni 4. de sanit. tuend. 3. ubi hæc habet: *Recipit verò*, inquit, *non omne excrementum alterationem à naturâ, siquidem nec omnis cibus in cujusvis animantis ventriculo concoquitur, sed cognatio quædam ejus, quod concoquit, cum eo quod concoquitur, esse debet.* Et 6. de sanit. tuend. 3. *Maximam quidem*, inquit, *vim habet ad ea quæ eduntur bibunturq;, non in ventre modò, sed etiam toto corpore conficienda, totius substantiæ convenientia, cujus ratione nutrimenta animalibus, & varia, & speciebus multùm inter se diversa habentur.* Sed maximè ad præsens institutum facit Hippocrates 2. aphorism. 38. *Parum deterior, inquiens, potus & cibus, suavior autem, melioribus quidem sed minùs suavibus, est præferendus.* Et Galenus ibidem in com. *Non ob id solùm, ait, hoc faciendum est, ut ægro gratificemur, sed etiàm, quia utilius ipsi exsistit. Nam quæcunq; cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & facilius concoquit, sicuti illa quæ displicent refugit, ut ad quæ vel nauseæ, vel flatus, vel fluctuationes subsequantur, quod quidem in pluribus cibis bonos succos habentibus fit. Quando igitur cum voluptate assumitur cibus, qui paullò deterior est, non modò non manet deterior, sed quandoq; redditur melior.* H. Galenus. Quorum omnium ratio non est alia, quàm â nobis antè proposita, quia scilicet natura, quæ ipsi sunt grata & jucunda, avidissimè complectitur & perficere studet, quæ autem ingrata & adversa, refugit, omniq; conatu à se demolitur.

Quibus ita constitutis, dilucidè, ni fallor, jam patebit, tantùm abesse, ut calor corporis viventis amplectatur halitum pestiferum corpori immissum, & cum eo pugnet diutiùs, quod statuebat Saracenus, ut ab ejus consortio sese subtrahat potiùs, eundemq; longissimè (si modò tantarum sit virium) propellat à corde generationis suæ officinâ primariâ, vitæq; arce regiâ, ad partem aliquam ignobilem & abjectam, ubi latitare possit citrà sensibilem actionum consuetarum labefactationem.

At con-

At concedamus sanè, naturam statim aggredi, ut venena alia, sic halitum pestiferum corpore susceptum, non tamen necesarium erit propterea, postquã calor corporis viventis jàm semel ceperit cum veneno certare, pugnam illam continuò protrahi eò usq; donec aut venenũ ipsum planè propulsarit & evicerit, aut extincto ipso animal intereat, ut eidem fit verisimile: Siquidem unanimi Physicorum & Medicorum consensu, actiones naturales persæpe interturbantur, calore, actionum istarum organo principali, aliorsùm retracto, & velut distracto; ceu, exempli gratiâ, concoctio materiei morbificæ putrescentis in febribus intermittentibus, aut continuis, frequenti ac intempestivâ assumptione alimentorum, quibus calor ad ventriculũ è venis, ubi digestio præcipuè perficienda est, revocatur. Simili enim ratione actio caloris in materiam quoq; pestiferã facili negotio poterit interrumpi, imo de sententiâ Medicorum reverâ interrumpitur, victu copiosiore, crassiore & intempestivo. Quâ de caussâ Hippocrates 1. Aphor. 7. de victu in morbis peracutis, inter quos est pestis, ità statuit: *Ubi morbus peracutus est*, inquit, *statim & extremos habet labores & extremè tenuissimo victu utendem est; ubi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbis extremis est remissior.* Ad quam Divini senis assertionem Galenus in com. hæc habet: *Morbus ille est peracutus, qui statim in summo vigore consistit. Statim autem est intelligendum, circa primos quatuor dies, vel paullò ulteriùs.* Et mox inferiùs: *Melius est*, inquit, *naturam permittere vacare circa morbi coctionem, morbo in suo vigore consistente, neq; distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos.* Rursus paullò post: *Hoc suppositio*, inquit, *in aliis morbis, qui suum vigorem sunt posteriùs accepturi, non licet offerre statim ab initio extremè tenuissimum victum. Nam sic priùs homo moreretur, quàm morbus in vigore consistat. In quibus verò morbi vigor statim futurus est, hoc est, in primis quatuor*

3.

quatuor diebus, in iis posſumus victu extremè tenuiſſimo uti: cùm vires tolerent, & inediam omnimodã, & ſolius melicrati exhibitionem, & ptiſanæ ſuccum paucum omninò. Talis quidem tenuiſſimus eſt victus. Qui verò hoc minùs tenuis exſiſtit, quem etiam pleniorem nominavit, ulis convenit morbis, qui poſteriùs in ſuo debent vigore conſiſtere, in quibus præcipit tantùm à victûs tenuitate declinare, quantùm morbus ab extremis recedit, hoc eſt, à vigore ſummo. Hoc enim proximo exſiſtente, minùs plenum victum offeremus: Longiùs verò diſtante, magis plenum: & quantò tardiorem fore ſummum morbi vigorem exſpectabimus, tantùm & victûs formam commutabimus. H. Gal.

Sed & alii Medici idem innuunt, cauſam reddentes, cur eorum qui peſte laborant urinæ, morbo invaleſcente, & propè obitũ, incipiant apparere meliores, urinis ſanorum hominum magis ſimiles, cùm ab initio fuerint deteriores; Aſſerunt id fieri, quia natura in principio quidem morbi viribus nondùm attritis aggreſſa fuerit ſeminarium peſtilens, poſtmodùm verò langueſcens & ſuccumbens, ab actione illâ deſiſtat. Simile quid aſſeruit Galenus de ventriculo & utero 2. de ſympt. cauſ. 3. *Ventriculum tàmdiu pergere in concoquendo alimento*, inquiens, *donec planè ſit concoctum, ſi tamen eum nihil aliud actionem intermittere cogit, quemadmodum uterum fœtûs corruptela, quippe ſimilis affectio ventriculo incidit, ubi cibi in eo ſunt corrupti*, ſubjungit Galenus. Sicut igitur in fœtum corruptum uterus, & in alimentum depravatum ventriculus, idcircò agere deſiſtit, quia objectum non eſt proportionatum ampliùs actioni ipſorum ſuscipiendæ; ita etiam calor naturalis, etſi jam ceperit vires ſuas exſerere in ſeminarium peſtilens, progreſſu tamen temporis, malitiâ ejus & ſummâ reſiſtentiâ perceptâ, facilè inde retrahetur, ſicq; ſedatâ perturbatione ſpirituum & humorum, quibus id inhæreſcit, ſeroſum ſanguinis excrementum, *id eſt*, materia urinalis, verſùs naturalem ſtatum aliquando reducetur.

tur. Neq; valet adversus hanc assertionẽ instantia Theod. Angelutii lib. 1. de feb. maligna cap. 6. quod natura agat definitè & determinatè, non autem ratione & intellectu, indeterminatis potentiis, consulto q; ac ex deliberatione, velut præsupponere videtur assertio modò allata: Præterquàm enim quod patet è supradictis, naturam id non sponte & ex deliberatione agere, sed necessariò & coactè, ob virium defectum & languorem, responderi insuper potest, quodlibet non agere confestim in quodlibet, ut Physici loquuntur, sed omnem facultatem agendi, etiam naturalem ac determinatam ad unius generis actionem producendam, requirere subjectum seu patiens dispositũ, ad quod scilicet symbolâ velut qualitate naturaliter alliciatur, ut ei se associet promptiùs vires q; suas in id celeriùs constantiùs q; exserere incipiat: cujusmodi qualitas corpori viventi & veneno cuivis, sic aut aliter disposito, non semper intercedit. Obj. Resp.

Quæ cùm ita se habeant, cautè ac prudenter Saracenus, id, quod hunc in modum proposuit, dicit verisimile esse, *hoc est*, probabile saltem & endoxon, non autem necessariæ veritatis, quippe cum multa endoxa sint falsa, sicut multa paradoxa vera, ut præ aliis olim diligenter inculcabat Philippus Scherbius, Præceptor incomparabilis.

Insuper largiamur, quòd corpus vivens venenum ingestum illicò aggrediatur, & continuò expugnare pergat, si quis præsertim urgeat theorema catholicum physiologorum, quod agente & patiente, tanquàm contrariis, juxta se positis, actio necessariò subsequatur: Veneni tamen nomine duo veniunt, 1. qualitas venenata, 2. subjectum ejusdem seu moles corporea, in cujus velut sinu qualitas ista absconditur. Quòd si igitur ipsa substantia venefica adpropinquet calori corporis viventis, actionem quidem ipsius illico pertentiet corpus vivens, non tamen effectum istius actionis tàm citò subsequi necessarium est. Princi- 4.

palis enim effectus istius actionis erit excalefactio corporis venefici, & in partes minimas divisio, quâ factâ qualitas demùm venenata excitabitur & vim suam exserere incipiet. Atqui ista excalefactio & in partes minimas divisio corporis venefici, atq; adeò etiam seminarii pestiferi, aliquando tardiùs, aliquando citiùs fieri potest, ut patet è supra dictis capite 3. 4. & 5.

5. Præterea sit etiam ratum, velut è tripode dictum, aut Sibyllino folio inscriptum, sicut venenis assumptis aliis, ita seminario pestilenti ingesto, vim ejus pernicioſam mox ad agendum excitari; Judicio tamen Galeni in lib. de partib. art. medic. cap. 5. *Sicut illi, qui à cane rabido morsi sunt, ità etiam qui venenum hauserunt, quod non nisi post tempus aliquod interficit, videntur in neutro statu versari, id est, medio inter sanitatem & morbum, qui manifestam quidem habent intemperiem,* inquit Galenus, *nondum tamen ægrotant, quippe cùm possint adhuc suas obire solitas actiones, quiq; nullo adhuc malo tenentur, quod sensibile sit, sed tantùm insensibili.* Quidni ergò pestilens quoq; seminariũ, etsi ceperit jam aliquo pacto agere in corpus vivens, interdum tamen sic latitabit in eo, ut pernicies ejus è sensibili actionum labefactatione vix possit dignosci?

6. Cùm verò subjungit, inter venenum pestiferum & rabidi canis id discriminis intercedere, quod hujus quidem veneni vis hebetior sit, ac in crassiore densioreq; materiâ inhæresceus, quâ de caussâ etiam diutiùs cohibeatur, nec nisi interpositâ longiore morâ caloris nativi, & ejus quidem copiosi, magnâ vi excitetur, suisq; se prodat symptomatibus; Illud contrà multò sit tenuius & acrius, unde & brevi & ex facili sese quòquò versum insinuet, agereq; incipiat, multò vehementiore atrociore q; offensione atque cruciatu: Respondendum, in genere loquendo, seu generatim venena hæc inter se comparando, rem quidem ità se habere, ut ipse asserit: Interim si in specie consideremus ea ipsa, non potest negari, latitudinem quandam & gradus da-

dus dari utriusq; hujus veneni, quoad vehementiam, celeritatem & acumen. Nam non omne venenum canis rabidi ejus semper est segnitiei in agendo, teste experientiâ, siquidem nõ semper ad menses aut annos complures vim suam deleteriam in corporibus animalium, citra functionum læsionem sensibilem, continere valet, sicut supra c. 2. hujus disquisitionis comprobatum est historiâ ex Alberto Magno, de quodam demorso in brachio, cui septem elapsis demum annis idipsum sese exseruerit: Sed sæpe etiam die 20. 17. Immò etiam 9. 7. aut 4. à conceptis seminariis in actum producitur. Rem hanc tali historiâ comprobat Julianus Palmarius lib. de morf. canis rabidi, c. 1. *Rusticus quidam rabie perculsus furiisq; agitatus, cum sibi è vivis brevi migrandum esse intelligeret, assidentes qui eum vinculis constrictum tenebant, in furoris intermissione obnixè rogavit, ut quos mox deserturus esset liberos sibi deosculari liceret: quod cum ei fuisset concessum, liberiùs oscula libasset, præfocatus est. Sed ecce septimo post die liberi eodem morbo correpti, iisdemq; cruciatibus torti, brevi miserrimam vitam cum morte commutarunt.* Tanta itaq; est latitudo veneni canis rabidi, totq; gradûs, quot exempli gratiâ inter quartum diem, quo susceptum est, & septimũ annum continentur dies. Neq; obstat responsio Petri Salii, *Si venenum canis rabidi, suâ naturâ segne ac torpidum, citiùs aliquando vim suam exserat, id non tàm fieri exipsius naturâ, quàm ob dispositionem patientis*: Nam etsi qualitas ejus pernicioſa in humore consistat crasso & motûs tardioris, crassitiem tamen hanc ut, & tarditatem, suos habere gradûs, suamq; latitudinem, immo & halitûs inde suscitatos, si formaliter considerentur, calidos esse & acres, tenuiumq; partium, nemo inficiabitur. Quòd si verò ob dispositionem corporis patientis evenit venenũ canis rabidi suâ naturâ torpidius, operationis esse celerioris, ut arbitratur Salius, quidni etiam pestilens seminarium suâ naturâ tenuius, acrius, vehementiusq;, itidem ob dispositionem patientis, Obj. Resp.

aliquando ad agendum esse poterit segnius ac tardius? At nec cum omni seminario pestilenti ità comparatum est, ut confestim sese versùs intima cordis penetralia semper valeat recipere, quod asserit Saracenus: quandoquidem præter corpus ei expositum, quod magnam obtinet resistentiæ latitudinem, & illud ipsum seminarium pestilens suos habet gradûs, quoad caliditatem & frigiditatem, tenuitatem & crassitiem, similesq; qualitates, atq; adeò quoad perniciem intensiorem remissioremve; & modo applicationis pestiferi halitûs ad corpus vivens non unius est tenoris ac impetûs, ut dilucidè patuit è supra dictis cap. 3. 4. & 5. præsentis disquisitionis. Hâc igitur de causâ ipse quoq; Saracenus in principio sui discursus peregrinos è locis infectis advenientes, nec consultum statuit in civitatem admitti recipiq;, nec tutum cum iis versari, aut promiscuè cum iis commercia habere, nisi diebus aliquot elapsis, quasi tunc demùm latitans in eorum corporibus venenum sese exserere posit: Haut obscurè nimirum innuens latitudinem illam seu gradûs perniciei velocioris tardiorisve, quoad aliquod saltem dies in contagio pestifero. Quamobrem cum pestilentis contagii terminus extremus à primâ horâ quâ concipitur, ad sex aut octo hebdomadas ferè extendatur, ut ex Marsilio Ficino innotuit cap. 1. hujus disquisitionis, venenũ autem canis rabidi terminum habeat à quarto aut septimo die usq; ad annum septimum, aut etiam ulteriùs; quis, nisi Pyrrhone inconstantior aut Arcesilao pertinacior, hæsitabit ampliùs nobiscum statuere, pestiferum contagium si exseruerit sese die decimoquarto, idipsum tardiùs vires suas tunc proferre, quàm venenum canis rabidi circa diem quartum aut septimum, hacq; de causâ subdubiæ esse veritatis, quod asseritur, omne venenum pestilens esse tenuius & acrius veneno canis rabidi, atq; adeò citiùs sese
7. in corpore vivente exserere. Prætereà quod ne rara quidem

quidem epidermis sive cuticula intra corpus aditum præbeat veneno canis rabidi, ut contingit seminariis pestiferis, quæ ocyssimè non modò cuticulam sed etiam cutem ipsam, quantumvis validam ac densam, permeent, penitùsq; intrò subeant: Etsi Clarissimo Fernelio ita visum fuerit lib. 2. de abdit. rerum caussis, cap. 11. & 14. è quo id dubio procul habuit Saracenus, aliud tamen, experientia comprobavit Petro Andreæ Matthiolo in 6. Dioscorid. cap. 36. *Duos se vidisse, asserenti, qui spumâ duntaxat perfusi, nullo quidem ex morsu accepto vulnere, rabiem contraxerunt.* Quin & Galenus idem asseruit 6. de loc. affect. 5. *Quum reliquorum*, inquiens, *animalium nullum rabie capiatur, solus canis eo affectu corripitur, atq; tanta fit in ipso humorum corruptio, ut solum ejus sputum, si humanum corpus attigerit, rabiem excitare possit.* His consentiens Julianus Palmarius, Fernelij discipulus genuinus, lib. de morsu canis rabidi cap. 1. tantam, atteſtatur, esse ejus veneni perniciem, ut non morsu tantùm, sed solo etiam contactu rabidi canis saliva rabiem excitare & hydrophobiam parere visa fuerit. Neq; deest ratio, experientiam hanc & responsionem confirmans. Nam si lepræ ac luis venereæ seminaria contagiosa, è crassissimis licet humoribus, ut statuunt, suscitata solo contactu citra ullam exterioris cuticulæ disruptionem propagantur, quid mirum fuerit, è crassiore salivæ aut sputi corpore (si præsertim glutinosum exsistens cuti etiamnùm illæsæ diutiùs adhæresçat nec detergatur) halitus acres tenuiumq; partium elevari, & intra corpus, per poros cutaneos & arteriarum diastolen, attrahi insensibiliter?

CAPUT VIII.

ARGUMENTA ALIORUM pro sententiâ negante considerantur.

ETsi iis, quæ circa Saraceni discursum prolata sunt, & abundè, ni fallor, comprobata, aliorum ejusdem sententiæ argumenta facilè itidem resolvantur: ne quid tamen sicco prætereatur pede aut intactū relinquatur, age eadem nunc paullò exquisitiùs asumamus perpendenda & eventilanda. Quòd igitur ad Hieronymum Mercurialem attinet, illud cumprimis expendendum: An non excrementorum nomine, in quibus hic conservari concedit venenum pestilens, intellexerit etiàm excrementa intra corpus vivens persæpe coacervata; quâ ratione à veritatis tramite & sententiâ affirmativâ fortasis non deflecteret: Aut nisi hoc admittatur, annon sibiipsi contradixerit, dùm verbis proximè præcedentibus in responsione ad secundum problema manifestè asserit, homines quosdam è regionibus infectis discedentes in liberas à contagio, infecisse illic homines sanos & regiones alias, eò ꝙ in seipsis conservantes, velut in fomitibus, venenum pestiferum communicarent aliis, atꝙ ita aërem inficientes pestem inducerent. Sed hæc neutiquàm attendendo, cùm in verbis & authoritatibus non sit sollicitè laborandum, ad argumentum ejus, quo probare intendit; *Venenum pestiferum in partibus viventibus hominum nequaquàm posse conservari citra sensibilem noxam*, respondendum videtur: quod dicitur vaporem pestiferum efficacem esse, aut inefficacem, duobus modis accipi posse, scilicet in gradu intensiore & remisiore. Si efficaciam in gradu intensiore quis intelligat, verisimile est in corpore calido & ad vaporis illius efficaciam admittendam dispositio, *hoc est*, minùs re-

Circa sententiā Mercurialis.

Cōsiderāda

1.

2.

3.

nùs resistente, inde læsionem sensibilem illicò excitari. Si in gradu remissiore & corpore majoris resistentiæ, non item; nisi aliquo demùm elapso temporis spacio, ut patet è declaratione rationis pro sententiâ affirmativâ superiùs propositæ, à naturâ seu dispositione hominis, cui seminarium pestilens immittitur. Quando subjungitur, si ineffi- 4.
cax fuerit ille vapor pestilens, sicut non agit in particulam viventem ejus corporis quo detinetur, ità nec agere in proximos; concedendum id sanè erit, si prorsùs impotens & nullarum virium sit ille halitus; nullo autem modo admittendum, si is ipse alicujus sit efficaciæ, licet remissioris & hebetioris: Potest enim homo ratione cujusdam antipathiæ & fortissimæ resistentiæ, quacunq; ratione acquisitæ, venenum aliquod intra se recipere citra nocumentum proprii corporis, idemmet tamen aliis cum præsentissimo vitæ periculo inferre, ut patet è memorabili historiâ Lud. Roman. lib. 5. navig. cap. 7. quam commemorat etiam Carolus Clusius in annotatis ad lib. 1. histor. aromat. cap. 25. Garziæ ab Horto, de Sultano Cambajæ Rege, quem pater ab incunabulis veneno aluerat, quiq; singulis diebus veneno vesci solebat, ad certam quantitatem. *Is enim letho traditurus quempiam è satrapis, ad se accersitum cui mors imminet, nudum sibi adsistere compellit, moxq; edit nonnullos fructûs, chofolos vocitant, instar nucis aromatitis, mandit etiam quædam herbarum folia, modo mali Assyrii,* tambul *nominant, addit etiam attritarum concharum ostreæ calcem, simulq; cuncta mandendo conterit; Tandem in eum quem cupit occidi exspuit, aspersoq; eo continuò mors subsequitur, præsentaneo veneno vitam perimente: Nam ubi in hominem exspuerit contrita venena, intra mediæ horæ spatium perfusus veneno in terram corruens efflat animam.* H. Clusius. Similis historia allegatur ab Avicenna lib. 4. Canon. fen. 6. tract. 1. cap. 2. de puella iticem veneno enutrita, quæ testimonio Ruffi antiqui Medici adeò veneficam inde naturam contraxerat, ut halitu & am-

& amplexu alios perimeret. Et fortassis fuit illa, cujus meminêre inter alios Mizaldus lib. 1. memorabil. aphor. 59. Et Johannes Langius lib. 1. epist. Medic. 12. ex Aristotele, Galeno & Averrhoë, quæ napello enutrita ab Indorum Rege Alexandro Magno olim muneri fuit data, cujus scintillantes & serpentum more nictantes oculos cum vidisset Aristoteles, ejus Præceptor, cave tibi ab hac, inquit, Alexander, hac nempe tibi exitium paratur. Nec defuit judicio eventus: plericq; enim proci puellæ hujus commercio intoxati interiêre.

Quamobrem simili quoq; ratione halitus pestifer naturæ torpidioris ac perniciei hebetioris admissus, poterit citra noxam sensibilem in uno homine aliquantisper latêre, qui tamen antequàm vires suas exserat, alteri homini communicetur & internecionem inferat.

Circa Cæsalpini assertionem.

Jam quod ad Andreæ Cæsalpini assertionem attinet, qui statuit: *Venenum in aëre pestilenti actu jam tale esse, neq; ut ad actum deducatur à calore corporis viventis expostulare*; Id ipsum non usq; adeò vero consonum esse experientiâ constat:

1. Quippe cùm tempore frigidiore seminarium pestilens ferè minoris sit noxæ, quàm calidiore; & in conclavibus actu calidis præsentius ab eo periculum, quàm loco frigidiore.

2. Insuper quis nescit in multis fomitibus, ut pannis laneis, pelliceis & similibus, seminarium pestiferum sæpè detineri citra periculum istarum ædium, in quibus ii reponuntur, aut hominum, apud quos servantur, nec lædere quempiam, nisi motu aut calore excussus halitus corpori viventi actu jam calescenti adpellatur, & eò quidem citiùs intimiùsq; quò magis corpus illud suscipiens incaluerit. Sic enim Alexander Benedictus Veronensis Medicus celeberrimus refert Año 1511. cum per Germanos Verona teneretur, exortâ peste, quâ hominum ferè decem millia periêre, ex unâ veste pelliceâ non pauciores quàm viginti & quinque Teutones obiisse, cum uno defun-

defuncto alius vestem illam induisset, donec tandem commonefacti ex tot defunctis vestem combusserè. Quin immò ne quidem fomes unus inanimatus alteri itidem inanimato, ut exempli gratia, pannus panno, si quietus uterq; permaneat, communicare potest halitum pestiferum, etsi unus alteri arctè applicitus fuerit, citra calorem, judicio Excellentiss. Mercurialis lib. de peste, cap. 14. in respons. ad 1. problema: Calor siquidem excitatur dum aër internus compressus non solùm incalescit, sed etiam ignitur aliquando, unde halitus pestifer qui uni panno inhæresci, attenuatur, agitatur & sic in alterum transfunditur. Quare certum sic est venenum pestilens â calore adjuvari, ut vim suam exserat celeriùs & vehementius. Si autem adjuvatur à calore, ergò â frigore aliquando etiam impedietur, seu hebetabitur. Sed sit sanè jam actu tale venenum pestilens antequàm corpori viventi immittatur: Actus tamen ille variis de caussis poterit inhiberi, ut suprà demonstratum est; Idemq; comprobatur aliis venenis simili actu præpollentibus, quæ recensentur à Cæsalpino, ceu in corporibus putridis & quibuscunq; evaporationibus malignis & animalibus plerisq; venenum ejaculantibus, aut ictu, aut salivâ, aut vapore. Ab iis enim quorundam hominum corpora, seu naturâ seu alexipharmacis præmunita, parum aut nihil lædi experientia testatur: Dubio procul quia actus talium rerum venenatarum inhibetur & obtunditur dispositione corporis venena ista suscipientis. 3. 4.

Verùm quid amplius nobis cum acutissimo Cæsalpino? Is ipse ætatis progressu sententiam videtur mutasse lib. 3. artis Med. c. 48. ubi postquam pestem definivisset morbum communem eâdem tempestate affligentem, pernicioſum, ex aëre instar veneni alterato; Et paullo post, *Morbum in intemperie calidâ & humidâ, cum summâ putredine.* Tandem sic addit, *Latère tamen potest putredo in aliquâ parti-* 5.

culâ antequam cor afficiat, cum autem ad cor pervenerit, confestim interire necesse est, extincto calido innato, antequàm febris sit manifesta. Et cap. seq. 49. de causis pestis verba faciens, caussam materialem proximam statuit venenum intra nos genitum, *id est,* putredinem magnam, quæ à naturâ vinci nequit: Caussam verò efficientem magnæ istius putredinis, quamlibet occasionem calefacientem: demum hæc subjungit: *Latent enim aliquando humores venenosi & rerum putridarum sordes, antequam putredinem excitent, ut in demorsis à cane rabido.* Rursus capite 50. de differentiis pestis agens; *Quædam,* inquit, *sine febri est manifestâ, in quâ neq; calor neq; pulsus, neq; urina ostendunt, quam hecticam pestilentem putavit Galenus. Sed contingere potest, quia venenum in aliquâ particulâ latitet, ut patet in morsu canis rabidi, manifestari autem oportet, cum petit cor.* Denique cap. 52. in præservatione talem probat legem, ne quis in loca à peste etiamnûm immunia admittatur, neque res è locis infectis, pœna capitali: *Hujus gratia,* inquit, *instituti custodes & speculatores non solùm ad civitatis portas, sed etiam procul ad ejus regionis fines, qui transitum prohibeant, nisi fidem secum ferant ex locis salubribus adventare. Hoc modo nostris temporibus diligentiâ magni Ducis Hetruriæ factum est, ut pestis, quæ Liguriam & Mediolanum afflixit, in reliquam Italiam non serperet.* H. Cæsalp. Quæ sanè lex & consuetudo nimis dura esset ac iniqua, nisi intra corpora hominum viventia latitantis veneni pestilentis adesset suspicio: cùm vestibus immutatis & universo corporis habitu sollicitè eloto expurgatoque, primo statim adventu tales Advenæ in communionem sanorum hominum admitti possent, ut suprà cap. 1. hujus disquisitionis commonefecimus. Ecce igitur similitudinem pestilentis contagii cum veneno canis rabidi, judicio Cæsalpini, utrûmque scilicet aliquandiu sic latitare, ut comprobare annitimur: quod tamen magno conatu impugnaverunt Saracenus, Mercurialis, & non pauci Recentiorum.

Hanc

Hanc sanè ob caussam nec prolixiùs hic agendum cum Excellentiss. D. Unzero, quin eo longè discrepare asserebat venenum pestilens à naturâ veneni canis rabidi, quod hoc lentæ sit activitatis, illud verò citissimè lædat nec tamdiu quietum delitescere possit; Ut nec cum Clarissimo D. Heckio, qui morem hunc per 40. dies detinendi Advenas antequàm sanorum consortio admittantur, pro curiosâ & subtili magis, quàm necessariâ habet diligentiâ. Utriusq; enim asfertio quàm sit veritati & usibus humanis conveniens, è suprà dictis nemini non, nisi lubens contra veritatis stimulum calcitrare velit, innotuit. Ne dicatur jam, quod & ipse D. Unzerus in ejusdem Catoptri lib. 1. cap. 20. calculum reduxisse videatur, explicans qua ratione imaginatio pestem aliquando inferat, *nempe non per se & ex suâ naturâ, sed per accidens tantùm, quatenùs nimirum illi conjunctus ingens timor seu metus, à caussâ aliquâ externâ introductus seu suscitatus, humores corruptos, pravos, malignos ac putridos, antea in corpore genitos & quietè latentes, vel fomitem ac seminium ipsum hujus contagionis anteà visceri vel parti alicui otiosè inhærens, aut excrementitiis succis involutum, vehementi quasi turbine concitet & exagitet, unde maligni ac venenati vapores elevati ad cor feruntur, qui spiritibus vitalibus permixti, simili malignitate ac veneno, quo ipsi præditi sunt, inficiunt, sicq; pestilentem tandem febrem inducunt.* Sed & sexennio elapso idem autor vela vertit, & in affirmantium castra totus intrepidè secessit, ut patet è discursu ejus Sup c. 1. allegato.

Circa asfertionem D. Untzeri, & D. Heckii.

Celeberrimo autem D. Pansæ idem suggerendum, quod paullò ante Hieronymo Mercuriali responsum est, quippe cum argumenta coincidant: Nisi id fortassis libuerit addere, etiamsi pestilens venenum, parte aliquâ corporis susceptum, fuerit impotens, *id est*, exiguæ aut nullius efficaciæ, nihil tamen prohibere, quo minus hominem invadere, & in eo detineri possit, quinimmò multò magis & celeriùs, cùm naturam corporis inveniat

Circa asfertionem D. Pansæ.

Resp ad 1. rationem

sibi minùs adversantem, quàm veneno potentiori seu efficaciori. Ad argumenta à Petro Carrario allata cùm ipsemet prolixè satis responderit Carrarius, nos saltem perspicuè magis dubitationes easdem resolvendo, concedimus quidem vim & actionem veneni non posse ad præcisum aliquem terminum limitari, velut etiam adversus Franciscum Valleriolam tuetur Laurentius Joubertus 2. decade paradox. medic. 10. Quod tamen nullo modo queat inhiberi aut retardari, haut itidem admittendum censemus.

Ad primum enim non difficilis erit responsio è supra dictis & jam aliquoties iteratâ limitatione axiomatis physici, *Agente & patiente juxta se positis necessariò fit actio*: Nempe verum id esse, nisi quid intervenerit actionem impediens, aut ex toto, aut aliquo duntaxat temporis intervallo. Talia autem non pauca intervenire posse, tùm è confirmatione sententiæ affirmantis prolixè adductâ, tùm è responsionibus ad discursum Saraceni & argumenta aliorum satis superq; innotuit. Sed nec omne venenum quocunq; modo administratum corpori, potentiam habere corrumpendi corpus, nec quodlibet corpus potentiam admittendi quamlibet corruptionem, è superioribus itidem dilucidè comprobatum habetur.

Ad 2.

Ad secundum, negatur consequentia: Siquidem in eo veneno, quod non statim interimit, quando ingeritur, sed aliquo demùm tempore elapso, non necesse est, novã aliquam vim aut qualitatem produci tunc quando interimit, sed saltem vim ei jampridem insitam, remotis obstaculis de potentiâ ad actum excitari. Qualitas itaq; ista non quidem de novo tunc producitur, quod voluit argumentum, sed ex ipsâ substantiâ rei venenatæ, in quâ tamdiu velut enervata delituit, saltem educitur, seu in apertum prodit; Fitq; id à calore corporis viventis, qui non potest non calefacere, atq; adeò per se rarefacere & attenuare

nuare tandem ſubſtantiam quamcunq; forinſecùs illatam, ſive ea ſecundum naturam propriam itidem ſit calefaciens, ſive refrigerans, ſive alias qualitates in ſe contineat, amicas aut inimicas calori corporis viventis. Nec propterea calor corporis tunc vel agit quidpiam ultra gradum proprium, vel per ſe producit frigiditatem, aliamve qualitatem pernicioſam corpori viventi, vel deniq; ſui ipſius corruptionem hâc ratione intendit, quod inferebat argumentum propoſitum.

Ad tertiam: Jam patet é ſupradictis, actionem inter contraria multis modis, ſi non impediri prorſus, ſaltem inhiberi nonnihil ac retardari poſſe. Non itaq; confeſtim ſemper ſeſe exſeret iſta actio halitûs peſtiferi, ut per eam homo ægrotare incipiat ſenſibiliter, etiamſi potentia veneni ſuperet potentiam caloris naturalis in corpore. Sed quid ſi potentia caloris naturalis prædominetur potentiæ halitûs venenati ingeſti, ut ſub initiũ capitis præcedentis adverſus Saracenum comprobavimus? Adeoq; corpus vivens vel atterat ſubitò & abigat prorſus à ſe venenùm, citra notabilem actonum læſionem, vel longiùs propellat à corde ad partem aliquam ignobilem, ubi velut ſopita lateat vis ejus citra ſenſibile aliquod incommodum, propterea quod à calore debili iſtius partis minùs excitatur, ſive ad actum deducatur? An non ſanitatis indicia tunc undiquaq; erumpent potiùs, quàm morbi alicujus venenoſi aut contagioſi? Neq; hilum valet, quod ſubjungitur, ſi potentia caloris naturalis ſuperet potentiam veneni, tunc venenum converſum iri in id quod dominatur, ſicq; tandem inde corpus nutriri poſſe: quandoquidẽ etſi omne agens ſibi aſſimilare conetur id, quod patitur, non tamen aſſimilat perpetuò, propterea quod patiens multùm diſtet ac nimis alienum ſit à naturâ agentis, ceu nôrunt Phyſici, hancq; ob cauſſam multa tanquàm aliena & noxia ab eo repudiantur & abjiciuntur, ut exem-

Ad 3.

pli gratiâ, excrementorum varia genera à calore corporis humani. At neq; rationi, neq; experientiæ prorsus repugnat, quædam venenata à calore corporis viventis tandem superata in nutrimentum converti, ut probant historiæ allatæ. Nutriunt autem talia, non quatenus venenata, seu ratione partium venenatarum, quas in se continent, sed potiùs quoad partes alias naturæ corporis magis convenientes, à quibus extracta jam est qualitas venenata, per actionem caloris dominantis. Quid si etiam, ut Cararius loquitur, æquarentur aliqualiter potentia veneni & potentia caloris naturalis? Præcedente capite, non longè à principio, itidem comprobatum est, languidiore & obtusiore exsistente virtute, tùm ipsius veneni, tùm corporis cui id infligitur, non illico inter ea excitari pugnam, sed temporis demum progressu, ob rationes inibi allatas.

Ad 4. Dubitationi autem in hac eadem quæstione à Francisco Valleriolâ propositæ, itidem è superioribus facilè, ni fallor, satisfiet: Negando scilicet quod asseritur, venenum ejus potentiæ ut à virtute corporis domari aut vinci nequeat, illico vim suam exserere; Siquidem multa possunt intercidere actionem illam inhibentia aut retardantia. Insuper subdubiæ fidei est, quod subjungitur, idem venenum illico seipsum in actum deducere: Id enim calori corporis viventis adscribendum potiùs de sententiâ Medicorum, qui tamen ab actione illâ persæpe retrahitur & impeditur, ut constat è supradictis.

Ad 5. & 6. Quod ad ratiocinationem virorum clarissimorum pro eadem parte negante: 1. Sanè conceditur, omnes humani corporis partes secundùm naturam esse pervias & permeabiles, juxtà illud Hippocratici in libro de alimento, ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, Confluxio una, conspiratio una, compatientia omnia: Interim præter natu-

naturâ aliquando, tum pori, tum venæ, adstringuntur aut obstruuntur, hacq; de causâ aditus ad interiora & versùs cor intercluditur, tum aëri, tum seminariis pestiferis, ut infrà disquisitione secundâ cap. 1. 2. & 3. declarabitur. Et hinc experientia testatur, seu fuliginibus ex universi corporis habitu non transpirantibus, novicq; aëris appulsu inhibito, seu sanguine intra venas, ob denegatam ventilationem, quasi protrito & conculcato, febres excitari intermittentes & continuas. 2. Omnes partes in corpore vivente suum habere calorem influentem à corde, itidem negari nequit. Verùm iste calor in aliquibus est minor & imbecillior, in aliquibus pituitæ & excrementorum copiâ usq; adeò obtunditur infringiturq;, ut non ita confestim vires suas exserat, quod sup. c. 4. comprobatum est. 3. Nec denicq; pro indubitato habendum, quod hic assumitur, quodvis venenum pestilens totâ suâ essentiâ & indole infestum semper esse naturæ omnium hominum; cum constet è supradictis cap. 4. reperiri homines, qui à veneno arsenici, aranearum, scorpionum, viperarum, quibus persæpe analoga est qualitas venenata seminarii pestiferi ut cap. 3. itidem innotuit, aut nullo modo, aut saltem difficulter tardiùsve afficiantur.

Ne jam aliæ allegentur caussæ, ob quas actio veneni pestiferi in spiritum vitalem & corpus vivens inhiberi possit, de quibus abundè hactenus primâ hac disquisitione pertractatum est.

DISQUI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0100
DFG

DISQUISITIO SECUNDA
QVIBVSNAM IN PARTIBUS CORPORIS, & quâ ratione, sic latitet seminarium pestilens.

CAPUT I.
QUOD LATITARE POSSIT *circa superficiem, seu in partibus continentibus corporis.*

ABunde con probatum est hactenùs, pestilens seminarium aliquando intra corpus vivum latitare, citra sensibilem actionum læsionem, adeò ut homines êlocis infectis in regionem ab omni contagionis suspitione immunem, & societatem hominum benè etiamnùm valentium haut temerè censeantur esse admittendi. Quia tamen cognitio universalis seu generica, *ut in Philosophorum foris loquuntur*, duntaxat est confusa & imperfecta, quæ non expleat animum cognoscendi desiderio flagrantem; idcircò ut destinctiùs & exquisitiùs hæc res innotescat, in specie nunc declarare intendimus, quibusnam in partibus, & quâ ratione,

ita latitent seminaria pestifera, ut persæpè illudant, tùm quosvis alios, quorum consortio aliquis, latenter sic infectus, se conatur obtrudere, tùm ipsosmet infectos, ut se sanos prorsus, non autem lue aliquâ inquinatos, esse arbitrentur. Primò itaq; & antè omnia statuimus, seminaria pestifera delitescere aliquandiu posse circa ipsam superficiem, seu partes continentes, corporis, nempe intra cuticulam, cutem, panniculum carnosum, pinguedinem, glandulas, & carnem cujuscunq; generis; in venis item & arteriis cutaneis subcutaneisq;, fortasis etiam in nervis. Illuc verò deducuntur, vel attracta, vel propulsa. Attrahuntur præcipuè per poros, aperta istarum partium spiracula, ut & per occulta seu cœca arteriarum & venarum oscula. Quod enim partes hæ omnes poris sint pertusæ & apertæ, tàm in aërem ambientem, quàm in partes contentas interiores, nemo hucusq; negavit. Quod item per poros, sicut fuligines ex universo corpore assiduè transpirant, caloris nativi eventilandi gratiâ, ita etiam aër ambiens talis, qualis superficiei corporis circumfunditur, remeet in corporis penetralia, in cõfesso est apud omnes. Nec opus est id ipsum comprobare, seu rationibus, seu experientiis, præsertim fœminarum utero præfocatarum, aut apoplecticorum, in quibus aliquando perspirationis hujus insensilis per poros beneficio, citra manifestam respirationem thoracis ac pulmonum, calor cordis, exiguus tunc existens ac debilis, sufficienter per aliquod temporis spatium ventilatur: Illud saltèm relatione dignum, quod de Invictissimo Hispaniarum Rege Philippo Secundo Bononiæ olim narravit Moderator Collegii Hispanici, inter alia, quibus ille propè extremum vitæ terminum, cum semianimis quasi jacéret, nec deglutire quidpiam posset amplius, per non breve temporis intervallum sustentatus sit, fuisse lintea oleo amygdalarum dulcium primùm immersa, postea expressa & exsiccata, quibus totum ejus

Seminaria pestifera ad partes superficiarias.

1. Attrahuntur præcipuè per poros.

ejus corpus involvebatur. Et rationem hujus subsidii ad vitam prorogandam in tali senio & virium imbecillitate proferebat Excellentiss. D. Æneas Vizanius, Medicinæ practicæ ibidem Professor primarius, quem in praxi tunc sectabar: quia scilicet calor nativus in eo extremè debilis, exiguâ indiguerit aëris inspiratione, quæ sufficienter per os & asperam arteriam perficeretur, cum contrà nimio aëris appulsu extinctus fuisset celeriùs. Lintea enim talia, quamvis exsiccata, habitum corporis universum oleosâ suâ naturâ perfundere, sicq; aëris externi attractionem per poros cutaneos inhibere; quandoquidem, ut Aristoteles etiam docuit, per aquam & oleum aër minimè penetret. Hacq; eâdem ratione, subjungebat eidem D. Vizanius, si quis subuculâ vestibusq; aliis oleo inunctis induatur, eum minùs ab aëre noxio affectum iri, etiam à pestilenti. Addebam ego tunc temporis & hoc: Oleum amygdalarum dulcium habere vim quandam reficiendi nutriendiq;, & extremam siccitatem, quâ ille detinebatur, corrigendi, seu pauxillum istud humidi radicalis, quod supererat, fovendi. Quibus ita constitutis, nemini nisi in Cimmeriis ignorantiæ tenebris versanti, dubium esse potest, halitûs pestiferos aëri permixtos, facili negotio per meatûs istos cutaneos, naturaliter dispositos seu apertos, intra corpus trahi, & circa partes ejus superficiarias detineri. Quantò autem magis id accidet poris corporis ultrà naturalem statum rarefactis aut relaxatis? Quâ de caussâ Laur. Joubertus in lib. de peste cap. 9. *Siquidem à circumfuso nobis aëre pestis seminaria proveniant, tutiorem semper esse arbitratur densitatem pororum, si modo & excrementis corpus alioqui vacaverit, & putredinis jam conceptæ exspiratio minimè fuerit prohibita. Raritatem contrà seu laxitatem eorundem, qualis biliosis & juvenibus familiaris, periculosam judicat, tali præcipuè argumento inductus: quod qui corporis habitu sunt densiore, non facilè venenum transpiratione admittunt, minusq; ab eo afficiuntur,*

quo nomine senes & melancholici tutiores esse consueverint; Contrà ob rariorem corporis constitutionem promptissimus sit aëris venenati ad cordis penetralia ingressus, unde juvenes magis periclitentur aliis, item à sudore aut coitu mox pectilenti aëri occurentes subitò extingui fuerint visi; præterea balneis assueti, agricolæ & alii, quibus ob laborem cutis hiant meatûs, aëris venenati injuriis expositi magis esse deprehendantur. Cui manifestè adstipulatur J. Antonius Saracenus lib. de pest. præcaut. Cap. 6. (M. p. 162.) sic inquiens: *Cutis universæ foramina leviter aptoq; naturæ modo cogi densioraq; reddi, deniq; venarum ductûs adstringi satiùs est, ne tam facilè veneni vis viscera ipsa, totiq; corpori communi officio inservientes partes invadat.* Et paullo post, p. 163, iis quæ corpora rarefaciunt omnibus contrarias viribusq; pares opponere facultates docet. Necq; dissentit Hieron. Mercurialis, etsi paullò aliter hanc rem explicet, tali nimirùm distinctione usus: *Duûm esse generum oppilationes, ut clarissimè habetur apud Galenum 5. de simplic. medicam. facultat. 12. alias, internas alias externas. Tempore pestis igitur oppilationes internas omninò esse tollendas, & providendum, ut intùs universum corpus apertum sit, quod intellexit Galenus 1. de different. febr. 4. laudans ut hisce temporibus corpora aperta conseruentur, immò addens, semetipsum hoc facere consuevisse: Secùs autem se habere de externis, nam eo tempore non esse corpora exteriùs aperienda, quia faciliùs aër infectus ingrediatur, & hoc intellexisse Avicennam, dum corpora rara & laxa hoc tempore commendat.* hact. Merc. Sed adhuc magis eidem periculo susceptionis contagii pestiferi per corporis superficiem ii videbuntur esse obnoxii, quibus aliquâ corporis parte cutis ulcere aut vulnere discerpta est, nisi id probè mundatum & contectum

Per ulcera aut vulnera

servent, dum loca subire infecta, aut personis rebusve infectis appropinquare animum inducunt. Unde Excell. præcept. Horatius Augenius lib 3. præserv. pest. cap. 35. de cauteriis agens præservationi à lue pestiferâ adhibendis. *Admoneantur,* inquit, *ii qui cauteria gestant, ne cum hominibus*

minibus peste infectis commercium habeant, vel ne suppellectilem ab iis usurpatam tangant. Per hujusmodi enim fontanellas plenas sanguine, spiritibus, putrefactione, facilè admodùm fieri potest infectio. H. Aug. Sicut autem halitûs pestiferi per innumeros & penè sensum effugientes, ob tenuitatem, in cute poros advehuntur, ita in ipsâ cute partibusvè ei subjectis non quantitate aliquâ notabili uniti, sed secundùm minimas portiunculas huc illuc dispersi detinentur. Inde postmodùm datâ occasione in arterias venasque majores sæpè abripiuntur, inibique uniuntur, præcipuè eas, quæ adjacent glandulis; seu majoribus, ut circa inguina, sub axillis, post aures; seu minoribus, ut circa alias multas partes in superficie corporis: quod sanè fieri potissimùm verisimile est, quando nullâ præcedente afflictione cordis, homines bubonibus, pustulis aut maculis corripiuntur. Quin & vernis ipsum cor iidem devehuntur tandem & uniuntur, quod fieri solet per commotiones animi vehementiores, inprimis terrorem subitaneum, ut & constrictionem pororum è frigore externo, causisve aliis, ibidemque arctiùs collecti mutuas præstant operas, & sic cor ipsum vitæ arcem, spiritumque vitalem potenter oppugnant. Idem judicium de arteriis & venis cutaneis, partiumque sub cute sitarum ad superficiem corporis, quarum illæ per suam diastolen sive dilatationem, tactui & visui obviam, ex aëre ambiente, hæ autem per systolen sive constrictionem arteriarum, ex iisdem arteriis halitum pestiferum in se recipiunt. Nec verò per earum duntaxat partium poros, aut arterias venasque, halitus ille intra corpus admittitur, quæ aëri ambienti denudatæ ferè exponuntur, sed etiam per universum corporis habitum qui vestimentis tegitur: Tùm quia pori istic ob caliditatem perpetuo aperti, aërem obstaculo vestimentorum velut denegatum trahere videntur avidiùs, tùm etiam quia vestibus recepti halitûs, poris continuò obversantur,

hacq; ratione vix possunt eorundem attractionem subterfugere.

2. propelluntur. Porrò & propelluntur sæpè ad cutem & partes cuti subjectas, velut ignobiliores & imbecilliores, seminaria pestifera, à partibus internis nobilioribus & robustioribus, præsertim hepate, corde, & cerebro, iisdem priùs advecta per vias magis patentes. Unde vel maculæ excitantur in cute, vel pustulæ, quas vulgò *anthraces* & *Carbunculos* nominant, vel tumores, præcipuè ad glandulas majores, iis in partibus corporis, ubi insigniores venæ & arteriæ divaricantur, nempe, ut modo dictum est, circa inguina, sub axillis, post aures, & alibi. Sed & appelluntur ac immittuntur frequenter corpori seminaria pestifera à causis externis, si non ab astris, quod tamen tuentur magnâ animi contentione Astrologi, saltem ab hominibus infectis & ventis venenatum halitum adspirantibus; insuper à fomitibus inanimatis, ut pannis laneis, lineisvè, culcitris, stragulis, pulvinaribus, & similibus, contactu suo labem inferentibus. Quarum causarum actio si sit imbecillior ac hebetior, superficiei duntaxat corporis illa impinguntur; si validior ac impetuosior, etiam in penitiores corporis recessus adiguntur.

A partibus internis nobilioribus.

A causis externis

Ubinam latitent? Seminaria itaq; pestifera, seu attracta ab istis partibus, seu ad eas propulsa

1. *I.* Detineri possunt ac solent intra ipsam substantiam cuticulæ & cutis, quæ non solùm porosa est, sed etiam satis crassa, lenta, & viscosa, tùm in iis qui cuticulam curare assueverunt alimentis dulcibus, aëreis & glutinosis, fomentis item, balneis, frictionibus mollioribus, inunctionibus; tum in aliis, qui laboribus assiduis, & cuticulam & cutem inducto callo obdurant incrassantq; ; In iis item, quorum cutis cum cuticulâ excrementis scatet tertiæ concoctionis, sive nutritionis partium in universo corporis habitu.

2. *II.* Sub ipsâ cute, intra panniculum carnosum, aut etiam in

iam in punguedine; quippe cùm duæ istæ partes similares ita inter se connexæ sint, ut vix unam ab aliâ discernere aliquando possis, præsertim in hominibus pinguioribus; panniculo scilicet non exsistente simplici, sed duplici, triplicique sæpè, aut etiam quadruplici, ab intercedente pinguedine sic velut in laminas diviso, quod feliciter olim demonstrabat Excell. Præcept. Patav. Fabricius ab Aquapendente; quâ de causa aliquibus etiam in homine adiposus videtur nuncupandus potiùs, quàm carneus. Intra tot enim divisiones istius membranæ satis crassæ & densæ, velut compedibus obstrictum detineri potest seminarium pestilens, accedente præsertim frigiditate istius loci, ob quam unctuosior pars sanguinis, commune quid in se habens aëris & ignis, judicio Aristotelis philosophorum Coryphæi 2. de part. animal. 5. in pinguedinem concrescit; cujus ratione & ipsum seminarium pestilens hebetari, incrassari & ad motum ignavius reddi potest. Insuper ipsi pinguedini immersum, ob unctuositatem ejus & crassitiem detinebitur diutiùs, & quasi inviscatum tardiùs in penitiores corporis partes devehetur.

III. In carne glanduloså seu glandulis. Constat enim apud omnes, glandularum constitutionem esse raram, spongiosam, friabilem & quasi cœnosam, temperamentum frigidum & humidum; earundemque usum, non modò ut firment divisiones vasorum majorum, sed etiam ut ex iisdem absorbeant ebibantque, spongiarum instar, humores supervacaneos, præsertim pituitam & serum. Quamobrem prompta admodum erit devectio & propulsio seminarii pestiferi, & cujusvis rei noxiæ, in hæc velut emunctoria, satque stabilis & secura conservatio in iisdem, quia & ipsæ, de sententiâ Hippocratis in lib. de glandul. reliqui corporis redundantiam auferunt, & aliæ partes in easdem facilè eructare possunt, quicquid iis molestiam creat, ob naturam earum spongiosam, abjectã & im- 3.

& imbecillem. Insuper ab humoribus frigidis, quibus scatent perpetuò glandulæ, malitia veneni pestiferi non parùm infringetur ac hebetabitur; immò & motus versùs cor aliasq; partes nobiles retardabitur.

4. *IV.* In carnibus musculosis seu musculis. Cum enim ii principaliter constituantur è sanguine rubicundo & laudabili (atq; adeò calido & humido) non atro & melancholico, *id est*, frigidiore & ficciore, sicut viscera de sententiâ Aristotelis 3. histor. animal. 16. ubi agens de carne quæ est inter cutem & ossa: *Quibus multum est carnis*, inquit, *iis venæ arctiores & sanguis rubentior, & venter ac viscera parva; quibus parum, iis venæ ampliores, sanguis atrior, viscera majora & venter auctior*: Utq; non citra rationem Hippocrati carnes dicuntur attractrices σάρκες ὁλκοί, quia scilicet ratione caliditatis alliciunt, ratione autem humiditatis, laxitatis, & raritatis, facilè admittunt, & in se recondunt remorantur q; materiam quamcunq; fluxilem aut halituosam, qualis etiam est halitus sive seminarium pestilens, ne ita confestim in cor, aut partes alias principes irruat. Quin & cùm musculi complures ita sæpè inter se cõnexi sint, ut conferruminatos diceres, & ab anatomicis lynceis distingui vix queant, suis tamen singuli distinguuntur membranis propriis, temperamento frigidis & siccis, densisque consistentiâ; quibus itidem halitui pestifero transitus in corporis penetralia inhiberi possit.

5. *V.* In arteriis & venis, non modò cutem perreptantibus, sed etiam partes alias prænominatas cuti subjectas, quæ cùm à corde caloris fonte distent longiùs, sanguinem & spiritum in se continent minùs fervidum vegetum q;, quin crassiorem potiùs ignaviorem q; ad motũ, aurâ præsertim frigidiore, & in hominibus otio deditis, habitu q; corporis frigidiore ac densiore; quâ de caussâ pestilens seminarium haut rarò istic retardatur ac detinetur. Hæc autem omnia sic se habere, ut dictum est, & ne latum, quod

quod dici solet, unguem à veritatis semitâ remota esse, res ipsa loquitur, & experientia comprobat in quamplurimis hominibus tempore constitutionis pestilentis, qui vel bubones gestant ad inguina, sub axillis, circa aures, vel pustulas anthracesvè diversis in partibus, vel maculas; dubio procul ab halitu pestifero iis partibus admisso, citra valetudinis sensibilem jacturam. Eorum verò aliqui temporis progressu immunes conservantur ab ulteriore periculo morbi pestilentis, seminario scilicet isto sensibiliter per sudorem, vel etiam insensibiliter citra sudorem discusso; bubonibus item benè suppuratis, apertis, & expurgatis; anthracibus deniq; & maculis suo itidem modo à naturâ aut arte ritè percuratis, quorum singulorum interventu contagium pestilens eliminatur. Multis contrà, proh dolor, idem seminarium, postquàm hæserit diutiùs in partibus à corde disitis, à naturâ ipsâ aut alexipharmacis non edomitum dissipatumvè, inde versùs cor devehitur, seu sponte suâ viribus usq; adeò invalescentibus, ut non patiatur se isto loco ignobili detineri ampliùs, seu etiam ab aliquibus caussis excitata, ut terrore subitaneo, excandescentiâ animi, vinis generosis, exercitiis immoderatis & similibus. Hujus utriusq; eventus experientiam uberiùs nunc proponere, aut historiis multis eorum, qui hic Dantisci qualibet constitutione pestilenti sic fuêre affecti, sollicitè amplificare, non est præsentis instituti. Illud potiùs consideratione dignum, præter hæc quæ modò fuêre allata, quosdam homines cùm jam peste fuissent infecti, & aut superstite adhuc bubone, aut eo etiam evanido reddito, meliùs habuissent, eodem veneno ad cor retracto pestilentem morbum denuò incurrisse. De quâ re, præter propriæ experientiæ infinita exempla, ex Herm. Follino binas saltem nunc liceat allegare historias. Una est hæc: *Adolescens quidam*, inquit, *cum peste decubuisset, & jam convaluisset superstite in in-*

guine tuberculo quodam sine dolore, aliquo tandem elapso tempore recidivam passus est, tuberculo scilicet cum dolore rursus intumescente, & pugnam cum naturâ restaurante. Altera est talis: *Ante aliquot annos,* inquit, *in nostrâ Repub: accidit, ut honesta quædam matrona peste extingueretur: post ædium expurgationem uni filiorum bubo exoritur, qui pauculos dies post evanescit. Exacto mense puer lapsus in aquam exhorrescit, occultum virus emergit, & cui elementum pepercit, eundem pestis trucidat.* hactenus Foll. Quibus sanè in casibus, nemo, opinor, inficias ibit, latitasse tamdiu venenum pestiferum, donec tandem, aut sponte, aut perterrefactione repentinâ, commoveretur rursus, & ad cor deveheretur.

6. *VI.* Sed quid si demùm ad nervos & genus nervosum in habitu corporis aliquando deferri quoq; seminarium pestilens, & inibi detineri statuerimus, citra noxam cordi illatam; in brachiis præcipuè & cruribus? Ad has enim partes, velut appendices corporis ad vitam necessarii, immò tanquàm emunctoria quædam partium principum, itidem propelli quandoq; venenum pestilens & ibidem detineri, experientiam nobis dedit pestis anni 1620. in viro quinquagenario, chirurgo hic Dantisci solertissimo, cui, cùm per plateas ambularet, inprimisq; transiret ædes, è quibus aliquot jam elata erant funera, halitus quidam teter, ut ipse referebat, dubio procul pestilens, cerebrum ex improviso invasit, adeò ut vertiginoso adfectu concideret, moxq; in sinistro brachio & crure paralysin, quo ad motum, pateretur, cum febri continuâ & non paucis pestiferæ luis symptomatibus: quæ quidem postea evanescebant, idoneis alexipharmacis profligata, superstite saltem dolore capitis, & paralysi leviore, ita tamen, ut istis symptomatibus haut præpeditus utcunq; ambularet & artificium suum exerceret, ingravescente licet per quædam intervalla dolore capitis, & paralysi, adeò ut cogeretur decumbere. Is tandem anno

1624.

1624. cum ante decem circiter hebdomadas maximâ anguſtiâ & compreſſione cordis rurſùm correptus lecto affigi cepiſſet, epilepticis ſupervenientibus inſultibus, è vivorum conſortio ſublatus eſt. In eo ita'q; ſeminarium peſtilens cerebro priùs receptum, inde ad artûs ſiniſtri lateris fuit propulſum: Inibi niſi tunc ſtatim alexipharmacis fuiſſet ſufficienter edomitum & profligatum, dubio procul ad cor & cerebrum illicò fuiſſet regreſſum, & præſentiſſimum vitæ periculum intuliſſet. Interim quòd per intervalla ſubinde recurreret, aut potiùs ingraveſceret, dolor capitis cum paralyſi; quòd item iis epileptici tandem ſeſe aſſociarent paroxysmi: quis quæſo aliâ hic ſibi imaginabitur cauſſam, quàm latitantem in his partibus malignitatis characterem, à peſtiferis ſeminariis olim impreſſum, qui vel à Lunæ aliorumve aſtrorum certis aſpectibus, vel cacochymiâ aut plethorâ, excitatus, ac velut reviviſcens, talia ſymptomata invexerit; non abſimili, ut videtur, ratione, ac in puero illo 13. annorum, cujus Galenus meminit 3. de loc. affect. 7. qui inde à tibiâ qualitatẽ quandam per femur, ilia, ac latera, ad cervicem & caput usq; adſcendentem percipiebat, antequàm epilepticum incurreret paroxysmum; aut in juvene altero epileptico, qui auram quandam frigidam dicebat eſſe id q̃d è crure adſcendebat, quoties iſto malo corriperetur, Galeno ibidem atteſtante. Iſta verò, ſeu qualitas, ſeu aura, non niſi quatenùs venenata, cerebri ſubſtantiæ infenſa at'q; inimica eſt, ſic'q; epilepticos inducit paroxysmos, judicio Clariſſ. Joh. Fernelii 2. de abd. rer. cauſſ. 11. & 5. pathol. 3. quippe eâ ſenſim prorepente, & cerebrum feriente, cerebro autem contrapugnante, quaſi colluctatione quâdam ac dimicatione fit epilepſia, inquit Fernel. Cui ſententiæ quamplurimi recentiorum conſentientem præbuêre pollicem, & adhuc tanquàm Minervæ calculum tuentur, quorum nomina hic recenſere ſupervacaneum eſt. Nec ignota fuit veteribus

detentio hæc seminarii pestilentis in partibus externis sive circa superficiem corporis, absq; noxâ cordi illatâ, licet non citra sensibilem earundemmet partium affectionem & corruptionem. Sic enim Galenus 3. de usu part. 5. duo referebat exempla eorum, quibus pestis vehemens in summos pedes fuerit grassata, eosdemq; putrefecerit, qui tamen ab eâ evaserint; dubio procul noxâ ad cor inde non translatâ, etsi postmodùm absq; scipione haut potuerint ambulare, propterea quod pedes putrefacti crudelitate prædonis circa Coracisium Pamphiliæ iis insuper fuissent abscisi. Sed & longè ante Galenum Hippocrates lib. 3. epidemior. sect. 3. in statu pestilenti commemorat, aliquibus hominibus nullâ febri, aut febrili aliquâ dispositione affectis (*de iis enim posteà acturus est*) occasione saltem externâ, nempe ab ulcusculis admodùm parvis, in toto corpore erysipelas obortum fuisse, & erysipelati, seu neglecto, seu etiam dum curaretur, (ut Vallesius explicat) supervenisse inflammationem, à quâ tum aliæ partes externæ, carneæ, osseæ, ac nervosæ, tùm præcipuè brachiũ, cubitus, femur, tibia & pedes, ita fuerint læsæ, ut putrefactæ deciderent, & ex decidentiâ mutilationes magnæ fierent. *Atq; hæc*, subjungit Hippocrates, *horrenda magis quàm mala: quibus enim ad suppurationem horum maturatio pervenit, plurimi horum servabantur, quibus autem inflammatio & erysipelas evanuit, hujusmodi autem abscessum nullum fecerunt, horum multi mortui sunt.* H. Hippocr. Cujus eventûs ratio est hæc: Siquidem seminario pestifero, quod detinebatur in istis partibus externis, per suppurationem abscessuum expurgato, cor à contagione permanebat liberum; eodem contrà, unà cum humore pernicioso, erysipelas & inflammationem inferente, versûs interiora recurrente, cordis vitale robur illicò afficiebatur & expugnabatur. Jam verò si halitus pestifer ad actum deductus excitatusq; in aliquâ parte, vim pernicioſam illic manifestè & potenter

exserit

exserit, citra læsionem cordis & vitæ periculum; quidni torpescens adhuc, viribus velut refractis sopitisq, cor ipsum relinquet intactum? cum ne eas quidem partes, quibus detinetur, sensibili aliquâ noxâ tunc afficiat.

CAPUT II.

QUOD IN VENTRICULO ET locis circa ventriculum.

VEntriculus, etsi infra pulmonem, cor & diaphragma, in ventre corporis inferiore collocetur, superiore tamen suo orificio, interventu œsophagi seu gulæ, in fauces aperitur, perq; gulam, velut manum quandam, cibos in se trahit, ut ex Aristotele statuit Galenus 3. de natur. facult. 8. *Quin & inter deglutiendum, spiritu, qui una cum cibis deglutitur, gula impletur, is autem, constringente se externâ gulæ tunicâ, facilè in ventrem cum cibis compellitur,* subdit ibidem Galenus. Si ergò aër in ventriculum ordinariè compellitur unà cum cibis, quis dubitabit halitum quoq; pestiferum in aëre oberrantem intrò aliquando simul devehi? Neq; hoc duntaxat modo, quem hic proponit Galenus, sed etiàm citra cibos, & quidem continuò maiore q; impetu, aërem nobis circumfusum, & cum eo halitum pestiferum, ad ventriculum pervenire verisimile est, nempe inspiratione thoracis ac pulmonum; Non minùs profectò, quàm ad cerebrum sic itidem pertingere aërem ingeniosè comprobavit Constantius Varolius Bononiensis lib. 1. de resolut. corp. hum. cap. 4. Idem quippe contingere videtur aëri ambienti, ubi impetum aliquem inspiratione acquisiverit, quod accidit ventis à frigiditate

Quomodo halitus pestifer in vẽtriculum deducatur 1. 2.

mediæ aëris regionis deorsùm protusis. Ut enim ii non eam duntaxat telluris partem subeunt, ad quam primo impulsu protruduntur, sed etiàm alias propinquas, quin & remotiores sæpè regiones pervadunt; laconicè dicendo, tot modis moventur, quot montium, fluminum, viarumq; dispositiones ipsis occurrunt: sic aër, unà cum halitibus in eo oberrantibus versùs thoracem & pulmonem per os & nares attractus, quia inde etiam in ventriculum apertas reperit fauces, eodem attractionis impetu, quo ad eam portiunculam quæ pestifero halitu cõtaminata est, in œsophagum & ventriculum, relictâ viâ ad pulmonem, deduci potest. Neq; solùm judicio Varolii, sed etiam Hippocratis & Aristotelis, eâdem hac inspiratione thoracis & pulmonis aër in cerebrum deducitur. Sic enim ille in libro de morbo sacro, *Cum*, inquit, *spiritum ore & naribus homo acceperit, primùm quidem is cerebrum petit.* Hic verò in lib de sensu & sensibil. Cap. 5. *Utitur*, inquit, *natura respiratione ad duo: ut ex proposito quidem, ad thoracis adjutorium; ut extra propositum verò, ad odorem. Respirante enim (animali) tanquàm ex transitu facit per nares motum*: nempe ad cerebrum, ut ibidem apertè statuit. Atqui si tali motu inspirationis aër ad cerebrum pertingit, per vias longè angustiores, & ab asperâ arteriâ, in quam vergit inspirationis impetus, remotiores: quidni per gulam, utpote & ampliorem meatum (qui propterea etiam vertebris dorsi allígatur, ut convenienter extensus remaneret, nec in seipsum collaberetur) & asperæ arteriæ proximum, eodem impetu deorsùm potiùs quàm sursùm vergente, aër pestiferis halitib9 contaminatus, longè expeditiùs in ventriculum deferetur? Sed quid si etiàm non aëri, sed cibariis
3. ipsis, quæ in ventriculum demittuntur, permixtum seminarium pestilens statuatur in ventriculum devolvi? Potest autem id fieri duobus modis.

1 Si halitus quidam pestifer extrinsecùs ingeratur rebus ali-

bus alimentariis, *e. g.* lacti recenter emulcto etiamnum calenti, & lacticiniis, carnibus item, dum modò mactatæ exponuntur aëri infecto, oleribus, quando colliguntur & asservantur in locis infectis, & similibus. Ut enim, qd vulgò dici solet, *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu:* Ita multò magis res tales liquidæ, molles, & porosæ, cùm semel hauserint intimiùsq; fovere ceperint spiritum quendam virulentum, ne quidem loturâ aut elixatione, nedum assatione, aut quovis coctura genere qua incrustentur, eundem ita plenariè exuent semper, ut ne tantillum quidem pestilitatis vestigium in se retineant. Sed & hujuscemodi devectio veneni pestilentis in ventriculum perficitur, si sanus aliquis biberit è communi cyatho cum infecto, licet malo etiamnûm delitescente: Tali siquidem ratione, aut halitus contagiosus inter bibendum fortè exspiratus, aut sanies venenata oris alicui particulæ inhærescens, in humorem potulentum facilè transferri poterit, sicq; homini sano inferri.

2. Si sanies quædam aut sorditudo venenata ab ægrotantibus aut demortuis excreta, inter alimenta devoretur â quibusdam animalibus, quæ homini in cibum veniunt, ut porcis, anatibus, anseribus, & similibus, utpote quibus non necesse est noxam inferri ab iis quæ hominibus sunt infensa, teste experientiâ, tùm in quamplurimis aliis venenorum generibus, tum etiam in veneno pestilenti. Tunc igitur certum est, talem dispositionem inferri iis quæ nutriuntur, nempe animalibus prænominatis, qualis erat in ipso nutriente, nimirum sanie venenatâ. Quod quidem experientia comprobatum reddidit anno 1611. cùm in præterlabente nostrâ Modlaviâ, ipsoq; adeò Vistulæ ostio, stupenda illa apparuisset multitudo piscicu-
lorum aculeatorum, quos *Contriscos* Theophrastus, Albertus *pungitios* nuncupavit, quibus in ripam copiosè pro-
jectis porci cumprimis saginabantur: Unde contigit post-
modùm

modùm carnes porcinas eodem sapore imbui, adeoq; esui reddi prorsus abominabiles. Nec in oblivionem venire potuit mihi porcellus mactatus in pestilenti constitutione anni 1602. pinguis quidem ille & delicatus, quo ad cætera, sed in dorso tuberculum gerens puniceum: quem cùm propterea abominarer, quædam verò vetula marito in prandio assatum obtulisset, maritus peste illicò correptus, intra biduum è vivis excessit.

NB

His igitur modis, & si qui alii excogitari possint, seminarium pestilens ventriculo susceptum, quânam ratione istic continere queat vires suas, nec noxam sensibilem inferat, nisi post aliquod temporis intervallum, si quæstio instituatur: Respōderim ego, suspensam detineri vim hujusce veneni pestilentis, tùm in ipso ventriculo, tùm in partibus quibusdam ventriculo adnexis & vicinis.

Quanam ratione latitet in ventriculo.

In ventriculo: 1. Si quando is copiâ scatet humorum frigidorum, crassorum & viscidorum, seu tunicis impactorum, seu in ipsâ cavitate fluctuantium: Iis enim inviscatus halitus pestifer, & viribus atteritur, & motu retardatur, atq; adeo minore impetu versùs cor impellitur.

1.

2. II. Cùm interiorem ventriculi superficiem investiat substantia quædam villosa & spongiosa, velut crusta carnea, è recrementis tertiæ concoctionis reliquæ substantiæ ventriculi, ut pleriq; statuunt, producta, membranæq; interiori haut secùs adnata, ac in holoserico telæ sericæ è fibris rectis, transversis & obliquis contextæ, superinducta est pars mollis ac villosa; quæ quidem in bobus, canibus, & brutis aliis, manifestè conspiciendam se præbet, in hominibus non item, nisi ventriculo aliquantisper cocto, ut observavit Fallopius lib. 4. observat. Anatom. cap. 3; Huic quoq; immergi continget seminarium pestilens, & mucoso humore interdum ita obtegi, ut alimentis ingestis, & chylosæ inde exsurgenti substantiæ, non facilè permisceatur. Latitabit itaq; illic velut

velut iners & evanidum, per aliquod temporis intervallum.

III. Sed & in ipsâ mediâ primariâque ventriculi tunicâ, quæ carnosa prorsus est, non minùs detinebitur, præsertim circa fundum, quàm in carnibus musculosis, ob substantiæ raritatem, mollitiem & crassitiem; Immò & illuc trahetur, ob caliditatem, & per arteriarum diastolen: Nec tamen noxam illicò inferet, tùm quia à corde distitus est, tùm etiam quòd hebetetur copiâ humoris pinguis, feculenti & cœnosi, qui ab alimentis, antequàm in chylum convertantur, per venas è fundo ventriculi in omentum secernitur, judicio Varolii lib. 3. anatom. 2. 3.

IV. Observavit Vesalius lib. 5. anatom. 3. in ventriculis hominum obæsorum nonnunquàm reperiri adipem utcunque copiosum, sed levem & lubricum, in sinistro latere circa fundum internæ superficiei adnatum, ob quem sæpè inappetentiâ diuturniore tales homines laborent, non secùs ac si alius quidam humor dulcis eidem inhæreret. Quòd si igitur huic etiam adipi pertinaciùs inhæserit halitus pestifer, quis negaverit, & virulentiam ejus illic infringi, & motum inhiberi? 4.

Neque obstat his omnibus actio ventriculi principalis, animali tàm necessaria, quàm ipsa nutritio, nempe prima concoctio alimenti assumpti, nutritioni prævia, ad quam dum calor excitatur jugique actione intenditur, haut videtur aliter fieri posse, quin halitus pestifer, ubicunque in ventriculo reconditur, unà incalescat, & ad actum deducatur illicò, hacque ratione per venas & arterias, viasque abditas alias, versùs cor abripiatur; non, inquam, obstat hæc ratio, quæ tamen Achilleum robur spirare fortassis alicui videbitur: siquidem calor, concoctionis hujus organum primarium, in hominibus ordinariè esi & esse debet remissior, mitis valdè & blandus, nempe ad cibos ingestos naturaliter & citra notabilem perturbationem Obj.

Resp. 1.

subigendos sic accommodatior, quàm si intensior esset, aut acrior, ut sapienter comprobavit Hieron. Fabricius ab Aquapendente in tractatu de ventriculo (M. p. 85.). Is ergo dum agit in cibos oblatos, blandè iis sese insinuat, ut eo velut decipiatur alimenti natura, & sensim sensim que se in aliam speciem converti sine pugnâ patiatur, inquit præceptor hic noster incomparabilis. Quâ de caussâ non magnoperè timendum hic erit periculum à virulentiâ seminarii pestilentis, ne illud ad actum deducatur illicò per quamlibet concoctionem alimenti in ventriculo, & sic versùs cor devehatur: cum id variis modis (licet non semper, quod ultrò largiemur aliis) impediri possit, ut jam declaratum est. Si objeceris, calorem ventriculi esse ità intensum, ut anguillam deglutitam brevi temporis spacio excoriari & quasi elixari, sicque alvo dejici observaverint Medici non infimi subsellii: (Fel. Platerus cap. de cordis dolore) Respondebo, talem caloris gradum non reperiri in omnibus hominibus, sicut nec usu venit, omnes æquè concoquere res concoctu difficilimas. In istiusmodi ergò hominibus contagium pestilens, ventriculo exceptum, illicò ad actum deduci, viresque suas exserere, haut poterit negari: nisi fortasis in iisdem quoque pituitæ aut aliorum excrementorum copiâ halituum pestiferorum vis ad aliquod temporis spacium inhibeatur aut exsolvatur, ut modò dictum est. Insuper

2. etsi calor ventriculi principaliter concoquentis, & calor partium circumjectarum concoctionem adjuvantium, ea, quæ cavitate ventriculi continentur, tanquàm naturæ corporis amica & familiaria aggrediatur, tamen etiam ea, quæ ipsi quovis modo adversantur, nonnunquam derelinquit, ac nullo modo aggreditur, ut suprà exemplis declaratum fuit cap. 7. disquis. 1. circa sententiam Saraceni. At concedamus sanè, calorem aggredi statim unà cum cibis halitum pestilentem, & ad actum aliquomodo deducere

cere; largiamur item, eundem sic commotum, seu per venas & arterias in ventriculum dehiscentes, ad cor, seu per orificium ventriculi superius, ad nervosam partem diaphragmatis, & pericardium unà cum corde diaphragmati adnexum, derepentè evolare, morbumq; pestilentem inducere: Id tamen perpetuò evenire, haut temerè aliquis asseveraverit, propterea quod idem halitus si è cavitate ventriculi sic liberè evolet, per orificium superius & gulam, in auras quoq; exhalare possit; sin autem venis & arteriis circa ventriculum concludatur, non ita promptè semper ad cor devehatur, ob vias istas copiâ humorum nonnunquàm interceptas; præcipuè cum venæ à portâ oriundæ non nisi per longiores ambages, & quidem in angustum coarctatæ, per hepar ad cor tendant; arteriæ verò ab arteriâ coeliacâ propagatæ, in truncum arteriæ magnæ & ad cor non perveniant, nisi itidem per ambages hepatis & lienis regionem prætergressæ. Per eas itaq; hanc ob causam non ita promptus aut celer transitus erit materiei alicujus pernicioſæ, præsertim cum eædem venæ refertæ quoq; sint humore chyloso versùs hepar devehendo, arteriæ verò non tàm abducendæ hinc alicui rei, quàm adducendis spiritibus & calori videantur destinatæ esse, juxta sententiam à plerisque receptam.

Cæterùm inter partes ventriculo vicinas & connexas, in quibus æquè latitare possit seminarium pestilens:

I. Se offert omentum, de cujus usu eleganter, meo judicio, philosophatur Const. Varolius Bononiensis loco suprà citº lib. 3. anatom. c. 2. Et summa totius discursus est hæc: cùm absurdum sit existimare, panem, carnes, vinum, olera, fructûs, & quamplurima alia inter se discrepantia, putredini q; plurimùm obnoxia, in aliud corpus, nempe chylum, transmutari, nullâ factâ superflui excretione: propterea factum est omentum (membrana sanè In omento.

amplissima) à fundo ventriculi ad imum ventrem usq; productum, innumerabilibus fermè glandulis refertum, ut quodcunq; humidum feculentum, in primâ ventriculi concoctione segregatum, depasceretur. Quod si ita est, ut sanè rationi videtur omninò consentaneum, facili negotio seminarium aliquod pestilens ventriculo exceptum, inde ad omenti glandulas pinguedine cœnosâ obsitas, unà cum humido isto feculento transportari continget, sicq; velut enervatum delitescet inibi, donec, occasione aliquâ datâ, per arterias ex eodem omento in arteriam cœliacam assurgentes versùs cor abripiatur.

In pancreate. *II.* Ejusdem conditionis est pancreas, corpus merè glanduloſum, posteriori ventriculi sedi, ejusq; fundo, pulvinaris instar substratum: quippe cum ipsius quoq;, non minùs quàm omenti, officium sit, chyli portiunculam impuriorem è ramis venæ portæ, tàm in ventriculũ, quàm duodenum intestinum & lienem distributis, depascere. Quid ergò prohibebit, in istud quoq; ventriculi emunctorium nonnunquàm abripi seminarium pestiferum, & ibidem torpescere?

In mesenterio & venis vicinis. *III.* Cùm ramuli venæ portæ & arteriæ cœliacæ per omentum & pancreas dispersi, hinc q; in ventriculum exporrecti, continui sint venis & arteriis mesenterii sive masaraei, quæ ob id mesaraicæ nuncupantur, nec minùs venis & arteriis in intestina, vesiculam bilariam, hepar & lienem progredientibus, teste ἀνευρίσμ, communiq; adeò cum illis gaudeant cavitate; quid impediet, in istis itidem locis, ventriculo partim vicinis, partim vasorum societate connexis, recondi aliquando virulentiam pestiferam, &, nunc breviore, nunc longiore temporis intervallo, pro diversâ conditione partium, occultari, antequam vires suas funestas incipiat exprimere? Fidem huic rei facient dolor colicus & dysenteria, pestis instar aliquando regionem aliquam depopulantes. Illius meminit Paulus

Paulus Ægineta lib. 3. op. med. cap. 43. *Quòd scilicet ab Italiæ quidem finibus incipiens ille per alia plerâq; Romani Imperii loca impetum fecerit, & ex eo plerique in morbum comitialem, alii in artuum resolutionem sensu incolumi, nonnulli in utrâq; sint prolapsi, ac eorum, qui in morbum comitialem inciderunt,* inquit, *plures interière; ex illis verò qui in resolutionem, plures evaserunt.* De hac autem Flav. Josephus sub initium lib. 6. antiquit. narrat, *gravissimâ quâdam grassante pestilentiâ, ex unâ dysenteriâ quamplurimos obiisse, ita quidẽ ut ante obitũ plerúq; intestina corrũperentur.* Simile quid observavit Excellentiss. D. Theophilus Homodei, Collega in physicatu mihi plurimùm honorandus, anno præterito 1624. tempore constitutionis pestilentis in quibusdam qui dysenteriâ laborabant unà cum indubitatis pestilentiæ indiciis, per alvum profundentes materiam purulentam, sine dubio è tumore sive abscessu in intestino recto, aut in vicinià: Et it quidẽ convaluerunt plerique, ob expùrgationem materiei insigniter putridæ ac malignæ; aliis interim vivorum consortio subtractis, quibus nempe eodem tumore ad suppurationem haut deducto, materia ista virulenta detinebatur, hinc que pestiferos halitûs ad cor, spirituum vitalium officinam, eructabat. Istiusmodi verò dysenteriam fuisse pestilentem, vel inde conjicitur, tùm quod alii in iisdem ædibus, aliquot dierum spatio exacto, peste corriperentur, eâdemque extinguerentur; tùm quòd aliquibus, puero nempe 8. annorum dysenteriâ laboranti, mense Julio, inferiore dorsi sede prope intestinum rectum eruperit, sub obitum, carbunculus coloris purpurei subnigri. In iis ergò, qui talibus morbis ita conflictantur, verisimile est seminarium aliquod pestilens præcedente temporis intervallo, seu ex victu pravo, seu ab aëre, seu aliis de caussis, paullatim fuisse collectum in propaginibus venæ portæ circa partes prænominatas, præcipuè circa intestina, absque sensibili noxâ, quæ tandem eruperit confertim, & luem istius-

modi induxerit. Sed & inteſtinis ramulisq; venæ portæ, in ea terminatis, ſeſe inſinuare poteſt halitus peſtifer, per inferius oſtium corporis ad vitam neceſſarii: Idq; tùm aliis modis, tùm præcipuè, ſi quis eâ parte inſederit loco, in quem peſte infectus recenter alvi ſaburram exoneravit. Si namq; dyſenteria & lues venerea, ne dicam de aliis, hoc pacto propagari poſſunt, quidni etiam peſtis?

CAPUT III.

QUOD IN VENIS ET *maſſâ ſanguineâ.*

CUm præcedente capite ſufficienter, ni fallor, confirmatum, perq; non leves ubicines ſubfultum fuerit, ſeminarium peſtilens in ventriculo, aliisq; circa ventriculum partibus, latitare poſſe; Eædem verò partes omnes vaſorum inter ſe gaudeant communitate, ut dictũ eſt, inprimis ramorum ac ſurculorum venæ portæ (ne dicam de arteriæ cœliacæ ſurculis) qui non modò ſanguinem in ſe continent rudiorem, frigidiorem & craſſiorem, quàm ſit ſanguis venæ cavæ, ſed etiam humore opplentur chyloſo, excrementisq; chyli variis, inde ad ſua conceptacula & emiſſaria expurgandis: Nemini dubium eſſe poteſt, etiam in iſtis vaſis venenum peſtilens aliquando detineri, ac velut enervatum delitescere. Fidem huic rei inter alia faciunt febres intermittentes diverſi generis, modò tertianæ (tàm duplices quàm ſimplices) modò quartanæ, modò erraticæ, prædecentes haut raro febrim peſtilentem continuam & veram invaſionem peſtis: Dubio pro-

I. In ramulis & ſurculis venæ portæ.

Hinc febres intermittentes aliquando præcedentes veram invaſionem peſtis.

bio procul humoribus istorum vasorum ad putredinem dispositis, ab halitu pestilenti, vim putrefactoriam obtinente, sic infectis, ut sensim & per certas quasdam portiunculas putrefiant, tales q; febres inducant. Id verò non solùm anno superiore 1624. tùm in compluribus aliis, tùm præcipuè in quodam Vitrario febri quartanâ, & Musico præclaro febri erraticâ priùs tentato, quàm funestiora pestis symptomata erumperent, observare licuit; sed & anno 1602. in alio civeDantiscano, cujus suprà memini cap. 1. Disquis. 1. cui octo hebdomadibus antè veram invasionem pestilentem, quâ etiam obiit, febris quædam periodica cum angustiâ circa cor, aut singulis noctibus, aut alternis, aut etiàm tertiâ quâq; nocte, recurrisse deprehensa est: Tandem tamen putredine sensim invalescente, humoribus q; sordidioribus ac malignioribus redditis, inde velut à fomento aliquo vires quoq; intensiores acquisivit ipse halitus pestifer, at q; adeò venas majores & cor ipsum derepentè invasit oppugnavit q;, cum præsentissimo vitæ periculo. Et quid pluribus opus? Gravissimorum Medicorum judicio datur febris pestilens intermittens: Cujus sententiæ olim quo q; erat Excell. Johannes Hucherus Monspelienſis Academiæ Cancellarius, & medicinæ professor Regius, meus itidem in Doctorem promotor pater q; honoratissimus, his convictus argumentis: 1. Humores in partibus à corde distantibus, & extra venas, minùs fruuntur spiritu vitali & calore nativo (à quo scilicet incorrupti conservantur) quàm in ipso corde, & intra venas majores: Hic tamen putrescunt & febrem putridam pestilentem q; gignunt (tùm aliis de causis, tum ab halitu pestifero admisso) Quare & illic. 2. Alii morbi venenati, quorum causa sunt humores intra corpus corrupti, à partibus distantissimis à corde oriuntur, ut epilepsia ab utero, crure, pede aut manu. Quidni ergo ab iisdem extra cor venasq; majores putre-

Immò & febris pestilens intermittens seu pestis cum febri intermittente. †

Quod probatur 1.

2.

putrescentibus aut corruptis in ventre inferiore (in quo omnis excrementorum sentina & congestio est, minusq; caloris innati & spiritûs vitalis, quàm in corde & venis majoribus.) febris generabitur pestilens intermittens?

3. Neq; obscurè idem indicatum voluit magnus Hippocrates lib. 3. epidem. sect. 3. aphor. 64. in statu pestilenti quem ibi describit, sic inquiens: *Multa præterea febrium alia genera vulgabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, vagarum, fastidiosarum, inconstantium.* Easdem enim febres, licet intermittentes, non fuisse simpliciter de genere istarum intermittentium, de quibus Hippocrates. 4. aph. 43. pronunciavit, febres quocunq; modo intermiserint, periculum abesse, quod etiam Galenus confirmavit in com. hujus aphor. ut & com. 3. in 3. epidem. aph. 5. comprobatur verbis sequentibus, cùm addit Hippocrates, *Omnes autem hæ cum multâ perturbatione fiebant, ventres enim plurimis turbati.* Ad quæ verba Vallesius, *turbationem*, inquit, *cùm sine addito dicitur, significare periculum, dictum jam est, dictum etiam, alvi profluvia esse in malignis febribus periculosa.* Dicit ergò, *omnes dictas febres cum multo periculo fieri, quia alvi plurimis turbatæ sunt.* Quam ob causam etiam Excell. noster præcept. Philipp. Scherbius eadem verba Hippocratis considerans, *Hinc*, inquit, *videtur colligi posse, hos morbos fuisse pestilentes.* Sed augent periculum verba sequentia, *quòd in his febribus fuerint, horrores, sudores non critici, & urinæ, ut scriptum est, nempe turbatæ, multæ, malæ.* Periculosæ itaq; fuêre istæ febres intermittentes, ab Hippocrate hoc loco descriptæ, dubio procul ob causam omnibus communem, nempe constitutionem ærís pestilentem, etsi aliæ quoq; possint esse causæ periculi in iisdem febribus intermittentibus, quas egregiè persequitur in lib. de febribus Ludov. Mercatus Hispanorum Archiater Excellentissimus.

Obj. Quod si autem talis interpretatio assertionis Hippocrati-

craticæ alicui non arriserit, confirmabitur saltèm Hippocratis hac autoritate id quod paullò antè proposuimus, Resp. tempore pestilentis constitutionis præter febres pestilentes, etiam alterius generis febres, nempe intermittentes, sese offerre, quarum quidem nonnullæ in pestilentem mox degenerent, ut comprobatum est, aliquæ verò etiamsi non degenerent in febres pestilentes, κακοήθειαν tamen usq; adeò sortiantur insignem, ut iis diu licet protractis, velut lentâ quâdam peste conficiantur homines, & sic tandem intereant, quod etiam exemplis ibidem illustravit Hippocrates, & nosmet ipsi, proh dolor, pestilentibus constitutionibus præteritis anno 1620. & 1624. in non paucis hic Dantisci experti sumus. Sed quidni pestis possit esse cum febri intermittente, cum detur pestis 4. etiam sine febri, quod prolixè ex Hippocrate, Galº medicisq; antiquis aliis, nec non ratione, comprobavit Excellent. præceptor Alexander Massaria in lib. de peste, idq; ipsum quonam modo fieri possit, diserte explicavit clarissi. Duncanus Liddelius lib. 3. de febr. cap. 1. Quòd si autem datur pestis sine febri, ergò multò magis dabitur febris pestilens intermittens, inquit Excell. præcept. Patav. Hercules Saxonia in lib. de febrib. c. 37. ubi etiam testatur se vidisse semel febrem tertianam intermittentem cum exanthematibus nigris. Consequentia autem Saxoniæ probatur: Nam si halitus pestifer, non reperiens in aliquo corpore dispositionem singularem ad febrim illicò excitandam, in cor irruere potest, & spiritûs vitales corrumpere cum præsentissimo vitæ periculo, *hoc est*, pestem inducere; si item ad cor pertingens, & venas cordi vicinas, insignem putredinis apparatum intra se continentes, febrem continuam citra moram inferre potest: Quidni loca à corde disita subiens, ut sunt partes inferiore ventre contentæ, sive dispositionem invenerint ibi ad febrim, sive non, primò quidem talem putredinis gradum in

dum in humoribus masſæ ſanguineæ excitabit, qui cauſſa ſit febris intermittentis peſtilentis, mox etiam, niſi quid aliud intervenerit, febrem peſtilentem continuam inducat? Nec̃ valet hic exceptio profeſſoris medicinæ primarii, quòd venenatæ putredinis (cujusmodi eſt febrium peſtilentium propriè-dictarum) ea ſit ἐνέργεια ſeu efficacia, ut quocunc̃ in loco excitetur, etiamſi is à corde ſit remotior, facilè cor continuò lacesſere poſſit, hinc̃ debilitatâ virtute certis intervallis humores peſtilentes expelli non poſſint, quod tamen ad periodicas invaſiones febrium intermittentium videtur eſſe neceſſarium. Inſtantia.

Nam *I.* non omne ſeminarium peſtilens ejus ſemper eſt efficaciæ, ut virtutem cordis primo ſtatim inſultu proſternat, præſertim ſi non in corde, ſed in parte à corde diſſitâ ſtabuletur, ut patet ex iis, quæ tum alibi, tum inprimis cap. 7. & 8. primæ disquiſit. reſpondendo ad argumenta ſententiæ negativæ prolixè ſatis fuêre prolata. Solutio. I.

II. Si vera eſt aſſertio Galeni & medicorum, facultatem vitalem poſſe labefactari incolumi permanente facultate naturali, utic̃ expulſio periodica materiæ putrescentis è foco putredinis in partibus ventris inferioris, cùm non vitalis, ſed naturalis ſit facultatis, non perturbabitur aut abolebitur illicò, etiamſi vis vitalis aliquomodo incipiat labaſcere. 2.

III. Etſi febres intermittentes cum contagio peſtilenti videantur minoris eſſe periculi, quàm continuæ, tùm quòd inducias quasdam concedant cordi, quibus non affligatur, tùm fortaſſis etiam ob putredinem remiſſiorem, quâ de cauſſâ aliquis non tam peſtilentes febres propriè dictas, quàm quæ in ſpecie malignæ dicuntur, & inprimis quæ ex privato humorum vitio generantur, intermittentes aliquando eſſe arbitretur: Tamen & eæ non minoris aliquando ſunt perniciei quàm continuæ, ratione ipſius qualitatis venenatæ, utpote per quam calore vi- 3.

tali

tali oppresso totum corpus occurrit prægelidum, pulsus minimus, vomitio æruginosa, sudor frigidus, aliquando etiam lipothymia aut mors ; quæ quidem febris pestilentis intermittentis signa, dubio procul experientiâ observavit & proposuit Excell. D. Hucherus. Et sanè, si sola pestis etiam sine febri necat, quod certum est è supradictis, si item humores veneno finitimi in corpore accumulati, intra paucas horas perimere valent, quidni commotis halitibus pestiferis per initia paroxysmorum, ex improviso & cum impetu quodam qualitas venenata cor invadet sæpè & vitale robur exsolvet? præsertim cùm minori putredini associari possit corruptela magis venenata, sive venenum intensius, cujus vi potiùs, quàm putredinis, homo enecetur. Nihil itaq; obstabit, quò minus & eæ febribus pestilentibus adnumerari possint.

IV. Nec refert, quod natura hisce febribus oppressa, 4.
ordinem certum in suis motibus observare haut valeat, atq; adeò febres istæ stato ordine non exacerbentur, sed sint quasi erraticæ. Sufficit enim quòd sint intermittentes, *hoc est*, per intervalla saltem affligant, etiamsi intervalla ista incerti sint ordinis, quod nunc probare intendimus. Hæc autem omnia cùm veritatem sapiant, inferendum videtur: focum quidem talium febrium pestilentium esse in venis à corde remotis, ramulis præsertim surculisq; venæ portæ circa partes inferiore ventre contentas superiùs nominatas, malignitatem verò seu pestilentem qualitatem iis extrinsecùs haut rarò accedere per contagium, sicut & continuis pestilentibus intra venas majores cordi vicinas & ipsos cordis ventriculos. Quòd si igitur virus pestilens sic per intervalla quædam ad actum deduci potest in venis & partibus à corde disitis, ubi intermittentium febrium sedes est, inibiq; cohiberi ac reprimi, ne propiùs pleniùsve invadat cor ipsum, & febrem continuam pestilentem inducat ; nihil sanè im-

pediet, idipsum si continuò delituerit velut enervatum, nec interpolatis vicibus aliquando in actum eruperit, citra sensibilem actionum consuetarum læsionem ibidem aliquando detineri ac cohiberi, quod comprobandum erat.

II. Ad gibbam hepatis sedem, & in venâ cavâ.

Sed quid si dixerimus, etiam in ramis furculisq; venæ cavæ ad gibbam hepatis sedem, atq; adeò in ipsâ per totũ corpus propagatâ, asservari posse interdum & delitescere virulentiam pestiferam, si ea sit gradûs remissioris, & in minore copiâ suscepta? In corporibus præsertim temperamenti frigidioris & venarum angustiorum, quæ copiâ humorum crudorum & pituitosorum perpetuò velut infarciuntur. Istic enim detentum seminarium pestilens, cûm non ita confestim ad cor possit penetrare, cacochymiam venenatam massæ sanguineæ paullatim inducit, quæ tandem ubi incrementum acquisiverit, confertim erumpit, & cor, vitæ domicilium, aggreditur: Effectu nimirùm haut absimili operationi tûm eorum venenorũ, quæ per victum depravatum aliisq; de caussis intra corpus aliquando generantur, tûm ejus quod morsu canis rabidi infligitur: De quibus Galenum locis suprà allegatis cap. 2. primæ Disquisit. com. 3. in pm Prorrhet Hippocr. com. item 3. in. 3. epidem. & in libel. de constitut. art. med. satis perspicuè audivimus discurrentem. Nam quod ad venenosos humores attinet, à victu pravo intra corpus prognatos, cum cibus vitiosæ substantiæ & qualitatis, naturale vitium non deponat per primam aut secundam concoctionem; nemini dubium esse potest, idipsum in venam cavam deduci, unà cum reliquo sanguine in hepate producto, sicq; paullatim inibi coacervari humores vitiosos, putridos, malignos, qui tandem ad summũ malignitatis usq; gradum evecti derepentè vitæ periculum inferunt. An hinc fortassis causa potest reddi, cur quidam homines in aëre prorsûs immuni à contagio,

& extra

& extra omne consortium infectorum longo temporis intervallo degentes, incidente quâdam occasione & ex improviso perterriti aut animo consternati, peste corripiantur? Ubi sanè nulla suspicio esse potest contagii pestiferi ex aëre aut aliunde hausti, aut etiam intra corpus latenter gestati; sed omnino verisimile est, malignitatem quandam massæ sanguineæ sensim ingeneratam, commotione sanguinis ac spirituum subitaneâ, ulteriùs pleniùsve, suis quibusdam partibus incensis & corruptis, versùs cor confertim deduci, & sic pestilentem morbum accelerare. Cumprimis verò id etiam continget in iis, quibus conveniens inhibetur humorum expurgatio, ut puellis tempore pubertatis post 12. ætatis annum, aliisq; virginibus mensium defectu laborantibus. Cùm enim in illis redundans sanguinis copia, aut etiàm cacochymia, non excernatur, ut decet, sanguis iste intra uteri venas detentus, in semetipso velut protritus & conculcatus, non minùs ac humor seminalis putrescit, naturamq; malignam & venenatam acquirit; unde uteri strangulatus, epilepsia & similes p. n. affectus, halitibus nempe putridis & quasi venenosis in cor aut cerebrum irruentibus, excitantur. Quòd si verò ab utero in truncum aut magnos ramos venæ cavæ regurgitaverit humor ille veneno haut absimilis; Idem aut ad exteriora membra inde rursus protrudetur, aut in viciniâ cordis & viscerum principalium subsistet. Prius si evenerit, ubicunq; locorum fuerit susceptus, malitiam suam exserere non intermittet: Cujus rei ne alia nunc adducantur exempla, unicam duntaxat recensere placet historiolam de puellâ quadam temperamenti melancholici: cui cùm nondum erupissent menstrua, primùm in brachii dextri sede superiore & exteriore, circa finem musculi deltoidis, exortum est tuberculum subflavum instar furunculi, moxq; huic simile in interiore, ut & anteriore, ejusdem brachii sede prodiit: quæ

cùm ab imperito quodam chirurgo curarentur, imprimisq; ritè haut expurgarentur, os ipsum humeri tandem erodi & corrumpi contigit, adeò ut incisione cutis carnisq; factâ in brachio, ossis istius portio, ad unius fermè digiti crassitiem & longitudinem à reliquo osse segregata, debuerit evelli. Quo peracto, probeq; deraso osse reliquo, etsi consolidaretur vulnus, recruduit tamē semper ulcus, & subinde aliquæ aliæ ossis portiunculæ excretæ sunt, donec tandem 18. ætatis anno menstrua prodirent: quo tempore à tali molestiâ fuit liberata, sicq; ad ætatem satis provectam salva & incolumis, quo ad brachium, superstite saltem ejus quâdam duricie, permansit. In quo casu procul dubio humor quidam putris & malignus ad brachium propulsus, mali istius causa fuit, donec tandem per vias convenientes expurgari inciperet. Sin autem idem humor intra venas majores cordi propinquq; substitisset, quin inde febris maligna aut pestilens, aëris præsertim accedente constitutione pestiferâ, quæ tamen tunc temporis non aderat, introduci potuerit, nemo ambiget. Quod ad morsum canis rabidi, cùm venenum istud in superficie corporis infligatur, ubi surculi venæ cavæ & arteriæ aortæ per cutem disseminati, tardeq; aliquando vires suas cum sensibili actionum noxâ exserat, utiq; nec istud in sanguine venæ cavæ, fortassis etiam arteriarum, latitare, quispiam, opinor, negaverit. Similem ergò in modum pestilens quoq; virus sanguini intra venam cavam immersum, conditionibus modò allegatis, torpescere poterit interdum viribus etiamnùm imbecillibus, donec tandem sensim ac sensim actione, leviore licet, continuatâ, naturam sanguinis corruperit & veneni instar vitale cordis robur expugnaverit. Id enim de seminario pestifero sic asserendum censebat Th. Erastus loco superiùs cap. 1. disquisit. primæ allegato, epist. 23. *Sæpè multis antè diebus*, inquiens, *contagium intra venas latuit, quàm*

quàm se proderet, nec otiosum tamen interim fuit, sed latenter humores corrumpendo sensim ad cor usq; penetravit.

Quod fieri potest tribo modis.

Fieri autem id potest tribus præcipuè modis. 1. Seminario pestifero per partes continentes corporis, præsertim per venas & arterias cutaneas subcutaneasq; in massam sanguineam devecto. 1. 2. Eodem seminario hepar, sanguinis fontem seu primam scaturiem, juxta communem medicorum sententiam, primùm invadente, quæ natura est, tùm aliorū quorundam venenorum, tùm contagii pestilentis, ut cap. 3. disquisit. 1. è Droëto & Quercetano comprobatum fuit; quod posteà hepate in partem quandam venæ cavæ procul à corde (cordis quoq; facultate expultrice adjuvante) propellitur. 2. 3. Si è venâ portâ, quò id ipsum aliquando pervehi è supradictis patet, interventu hepatis, in venam cavam fortè fortunâ, vel potiùs infortunio quodam, pertigerit. 3.

Quòd verò etiam à rebus venenosis cacochymia talis sanguini, totiq; adeò corpori, introducatur, & inde morbus, si non sensui manifestus, saltem clandestinus & lentus, qui tandem expugnato corporis temperamento & vitiatis partibus primariis, in apertum prorumpat, vel Turcarum, Persarūq; exemplo manifestum evadit, qui opio, non vulgaris veneficii succo, condimenti instar vescuntur. At quid ipsis inde præmii, aut lucri? somnolentia & torpor: quinimmò in bellis, ob copiam ejus ingestam paullò majorem, furor similis eorum, quibus nux metella aut solanum maniacum cibus fuit. Sed & Æthyopes sub Ægypto, qui locustis fumo & sale exsiccatis in annua alimenta utuntur, id inde reportant incommodi, quòd tandem cum pruritu & scabie fœdâ vivi computrescere incipiant, vitæq; utplurimùm sint brevioris. Jod. VVillich. in dialogo de locustis. Simile quid hisce annis expertos fuisse eorum aliquos, qui pulvere serpentum certâ quâdam arte præparato usi fuerant, ad præservandos se à venenis.

venenis cujuscunq; generis, etiam pestilenti, tûm aliorum fide dignissimorum relationibus compertum habetur, tûm inprimis testimonio Clarisſ. D. Danielis Beckeri, medici & professoris nunc Regiomontani eminentisſimi, de viro quodam 30. ferè annorum in Silesiâ (ut inde aliquando scripsit medicus ad Exc. D. Sennertum) qui cùm pulvere serpentum ûsus esset non curationis, sed præservationis gratiâ à peste, inde singulis periodis vernalibus excoriationem illam, quam & eodem tempore patiuntur serpentes, sensit, cuticulâ nimirûm, sicut & puerulis post variolarum & aliarum pustularum maturationem decidere solet, instar squamarum è toto corpore separatâ, ingenti totius corporis præcedente pruritu, novâq; cuticulâ succedente, qualis etiam prædictis affectibus & scabiei solet succrescere. Et fortasſis ciconiæ quoq; plumarum casum viperinis aut serpentinis carnibus acceptum referunt. Sed quod mirum magis alicui videbitur, à rebus venenatis alimenti loco per asſuefactionem quandam ingestis, malignitas quædam talisq; pestilitas inducitur, ut etiamsi homines eâ affecti ad aliquod temporis intervallum vitam agere videantur sanis similem, alios tamen vel afflatu solo tunc enecent, antequàm & ipsi asſuefactionis hujus pœnas luant. Id enim comprobatur exemplis puellarum venenis enutritarum, quarum amplexu & commercio plerique intoxati proci interîêre; necnon Sultani Cambaiæ Rege, qui exſpuendo in alios, ſputo tanquàm præsentaneo veneno, intra mediæ horæ spatium, homines enecabat, ut suprà cap. 8. disquis 1. recensuimus: quod tamen citra propriæ ipsorũ valetudinis jacturam, quæ temporis progressu sese exseruit, fieri nullo modo potuit.

Si igitur venena iis in succum & sanguinem converti absq; valetudinis aut vitæ sensibili dispendio, inibiq; saltem ad aliquam ætatem detineri ac reprimi potuêre, quidni contagium pestilens aliquot hebdomadarum decursu itidem in massâ sanguineâ aliquando detinebitur ac refrenabitur?

CAPUT

CAPUT IV.

QUOD IN PULMONE, ET partibus quibusdam vicinis.

PUlmo cordi circumjectus, thoracis universam ferè opplet cavitatem, cordisq; flabellum sive ventilabrum est, immò & culcitrum ejus, quoddamq; velut sustentaculum. Unde haut absq; ratione mirabitur rimabiturq; aliquis, quonam modo venenata qualitas in eo possit ita abscondi & delitescere, ut aër inspiratione attractus, inde in vicinos cordis ventriculos cum infectione tali non deducatur, quod nos probare intendimus. Sed mirari ac rimari desinet, si sub rationis incudem revocaverit, & ad Lydium examinaverit lapidem, ejus tùm constitutionem, tùm usum, prout à medicis & philosophis hæc ipsa proponuntur & comprobantur.

Quod ad constitutionem attinet; constat pulmo vasis triplicis generis: arteriâ asperâ sive tracheâ, è mediâ ejus substantiâ antrorsùm & retrorsùm exporrectâ; venâ arteriosâ, è posteriore pulmonis sede in dextrum cordis ventriculum; & arteriâ venosâ, ex anteriore ejusdem regione in sinistrum ventriculum cordis deductâ, ita quidem, ut utraq; per totam pulmonis substantiam arteriæ tracheæ ramulis furculisque anastomosi conjungatur. Constat item carne, vasis hisce undiquaq; circumjectâ, rarâ, spongiosâ, lævi & molli. Constitutio pulmonis.

Usus.

Quod ad usum: est ille juxta sententiam medicorum, inspiratio aëris ambientis, & alteratio ejusdem, inde in cor postmodùm devehendi; est item exspiratio fuliginū, calidi innati seu spiritûs vitalis in corde sustentandi & eventilandi gratiâ. De sententiâ autem Aristotelis & Peripateticorum, itidem præter exspirationem fuliginum, est inspi- Juxta sententiâ Medicorum. Juxta Aristotelem & peripateticos.

inſpiratio quidem aëris ambientis, ſed non in cor devehendi, quippe cum non videatur iis veriſimile, aërem ſecundùm ſubſtantiam è pulmone in cordis ventriculos deduci. Ita enim ſentiebat Ariſtoteles in lib. de reſpirat. c. 6. cum inquit. *At verò neq; alimenti gratiâ exiſtimandum eſt fieri reſpirationem* (ſcilicet pulmonis) *tanquàm alatur ſpiritu* (id eſt aëre) *ignis qui intùs eſt* (id eſt calidum innatum cordis) *& reſpirante quidem* (ſcilicet pulmone aut animali) *tanquàm ſuper ignem ſuccenſum fomitem adjici, nutrito autem igne fieri exſpirationem.* Eandem ſententiam explicant & tuentur viri eminentiſſimi, Andr. Cæſalpinus lib. 5. quæſt. peipat. q. 4. Philip. Scherbius in diſp. med. d. 7. Et Caſpar. Hofmannus medic. Profeſſor primarius in academiâ Altorfinâ, amicus meus ſingularis, in diſp. de ſpirit. Quibus ſic prælibatis, ſi perpendamus jam arteriæ tracheæ ramulos per pulmonis ſubſtantiam diſſeminatos, quorum uſus eſt, dilatatione ſuscipere aërem ambientem & fuligines è corde, conſtrictione easdem fuligines excernere; cùm certum ſit eos, ſi non omnes ſimul, ſaltèm aliquos per intervalla,

Latitare ſeminarium peſtilens. In ramulis arteriæ tracheæ.

1. humore pituitoſo interdùm obſideri citra notabile reſpirationis impedimentum, nedum eum aliquo adauctæ reſpirandi neceſſitatis indicio, in hominibus præſertim phlegmaticis aut etiam in ſenibus: quis inficias ibit, illic tunc ſuscepta per inſpirationem unà cum aëre ſeminaria peſtifera, aut detineri per quoddam temporis intervallū, citra noxam evidentem ad cor delatam, nec ad cor pertingere ipſorum virulentiam, niſi ablato iſto impedimento, id eſt humore pituitoſo attenuato, abſumpto, vel excreto, aut ſuccedentibus interea pluribus ac fortioribus exſpirationibus rurſùm è corpore vivente eliminari?

2. Sed & iisdem tracheæ ramulis à pituitâ liberis, ſi contigerit inſpirari halitum peſtiferum, idem non illicò verſùs cor abripietur ſemper, cùm à pulmonis carne rarâ & ſpongioſâ imbibi, & ibidem ſic alterari poſſit, ut venenatam qua-

tam qualitatem, vel exuat prorsus, vel aliquantò mitiorem reddi experiatur. Hunc enim usum carni pulmonis tribuunt anatomici, quos inter eminentissimus præcep. Patav. Fabricius ab Aquapendente in lib. de respir. & ejus instrumentis (*m. p.* 109.) hæc protulit: *Pulmonis caro*, inquit, *si nimis frigidus aër inspiretur, tepidum reddit, si verò nimis calidus, temperat cordiq; congruum præparat. Quòd si rursus aut fumosus, aut pulverulentus, aut venenosis qualitatibus affectus sit, aut exuit depuratq;, aut per tussim facilè rejicit.*

Quòd si autem halitus pestifer ex arteriâ tracheâ transsumatur in venæ arteriosæ ramulos, posteriorem præcipuè pulmonis sedem perreptantes, etsi eorum caudex, vena scilicet arteriosa, ad dextrum cordis ventriculum terminetur, valvulas tamen sibi præpositas habet tres semicirculares, è ventriculo isto in eam apertas quidem, sed in ventriculum occlusas, ad impediendum regressum sanguinis é pulmone in hunc cordis ventriculum, de communi medicorum sententiâ; quam ob caussam & halitui pestifero, si quam venenatam adhuc in se retinuerit qualitatem, ingressus in eundem cordis sinum denegabitur. At ponamus etiam illuc pervenire, cùm fortassis non ita exquisitè occludatur ab his valvulis prædictus ventriculus; non tamen adeò præsentaneum erit periculum, ut in sinistro ventriculo, ubi caloris vivifici focus est principalis, consentientibus medicorum suffragiis. Sed & inde in amplissimum venæ cavæ ostium protrudi illicò & expelli poterit, non obstantibus similiter valvulis tribus trisulcis, ut in anatomicis prælectionibus de corde à nobis declaratum est, & manifestè concesit Galenus 6. de usu part. 16. & in lib. de usu puls. c. 5. ubi agens de valvulis vasorum cordis, usum quidem earum statuit esse, ne ex toto & confertim sanguis, qui semel influxit, regurgitaret, interim non impedire, quò minùs aliqua saltem ejus pars refluere possit. Quidni ergò etiam halitus pestilens,

In ramulis venæ arteriosæ.

1.

2.

3.

dextro cordis ventriculo fortè admissus, inde in venam
Obj. cavam propelli aliquando poterit? Neq; interim eidem
ventriculo noxam inferet: siquidem autore Galeno 6. de
Resp. loc. aff. 4. etiam materia purulenta, putrida, fœtida, atq;
adeò spiritui vitali infensa, è disruptâ vomicâ pulmonis
per arteriam lævem sive venosam in sinistrum cordis ven-
triculum deferatur, hinc'q; per arteriam aortam in renes
& vesicam expurgetur, citra talem corruptionem cordis,
quam febris pestilens aut mors illicò subsequatur. De
In ramulis arteriæ venosæ. lævibus demùm pulmonis arteriis, *hoc est*, ramulis arteriæ
venosæ, anteriorem præcipuè pulmonis regionem per-
reptantibus, quorum caudex, arteria scilicet venosa, in si-
nistrum cordis ventriculum dehiscit, si sermo instituatur,
notabilis est historia apud Galenum 4. de loc. aff. ultimo,
de Antipatro artem medicam apud Romanos publicè pro-
fitente, in quo ceu sanũ prorsus se gerente, pulsus percipi-
ebatur admodùm inæqualis, diuq; talis perseverabat, ci-
tra febrim & respirandi difficultatẽ, adeoq; Galenus ratio-
nabiliter conjecit caussam hujus dispositionis præter natu-
rã in pulsu esse, vel obstructionem, vel crudum aliquod
tuberculum in pulmone, & quidem ab humore crasso &
lento, in lævibus, non asperis, pulmonis arteriis accumu-
lato. Quod si ita est, ut profectò rationi est consentaneum,
quis dubitabit asserere, si aliquis simili pulmonis consti-
tutione, quoad ramulos arteriæ venosæ, afficiatur (quod
hodiè etiamnum contingere vix negabitur) ejus pulmo-
ne susceptum pestilens contagium, istic quoq; abscondi
& delitescere posse, antequàm in sinistrum cordis ventri-
culum, datâ quâdam occasione, abripiatur? Nimirũ, nisi
humor ille crassus & lentus attenuetur, abstergatur, aut
excernatur, sanguine & spiritibus magnâ vi commotis
versùs cor (*quod terroribus subitaneis contingere solet*) vel etiàm
irâ & animi excandescentiâ, aut vino meraciore, similive
potu calidiore, aut exercitiis immoderatis, aliisq; modis,
effervescentibus.

Sed

Sed & citra istiusmodi obstructionem vasorum pulmonis, halitus pestifer, licèt admissus, cor tamen subterfugere & ad ignobiliores partes transferri potest, per viâ quandam peculiarem, ab eminentissimo Basileensium Archiatro & Anatomico solertissimo, amico meo & patrono singulariter honorando D. Casparo Bauhino, in cadavere virili primò inventam anno 1611. mense Decembri, mihique amicè ab eodem per literas revelatam anno subsequente, ramum scilicet insignem ab arteriâ venosâ extra sinistri cordis ventriculi ostium constitutâ emergentem, qui in de supra pulmonem sinistrum ferri, mox deorsum reflecti, arteriæ magnæ truncum descendentem comitari, & in eundem sub diaphragmate propè arterias emulgentes implantari, deprehensus est. Hac igitur viâ, sicut idem Autor statuit potiùs quàm per alios meatûs, vomicâ pulmonis disruptâ materiam purulentam unâ cum aliis haut rarò expurgari; Ita sanè & nos halitum pestiferum ad arteriam venosam devectum, in quibusdam hominibus, quorum venæ sic conformatæ sunt (si non in omnibus fortasse sic reperiantur conformatæ, quod in posterum anatomes studiosis erit observandum) cordis sinum nobilissimum præterlabi, non sine ratione statuerimus.

Via singularis per quã halitus pestifer à pulmone ad partes ignobiliores deduci possit.

Multò autem magis obtinebitur id, quod probare intendimus, si verum est, quod cum Aristotele præstantissimi statuunt peripatetici, *aërem inspiratione pulmonis attractum ad cor haut quaquàm pervenire.* Quam tamen assertionem, pace tantorum virorum, ego sic explicari malim, ut inter medicos & peripateticos vix ulla relinquatur controversia: Nempe aërem quidem sub formâ aëris ad cor non deduci, sed jam alteratum sufficienter in pulmone, & permixtum sanguini spiritui que è corde illuc advecto, atque adeò spiritûs vitalis qualitatibus affectum, & formâ rudiore adornatum. Qualis quidem aëris ad cor deductio nõ

Quomodo tamen non nocere possit etiãsi inde ad cor deducatur.

indiget ullo motu pulmonis, quem arteriæ tracheæ ramuli furculiq; peragant, sed solius cordis & vasorum ab eo dependentium dilatatione perficitur, ut in prælectionibus anatomicis à nobis comprobatur. Quamobrem dum aër inspiratione recenter in pulmonem demissus, detinetur ibi aliquantisper & alteratur, qualitatem maleficam, si quâ imbutus est, haut rarò exuet, spirituiq; cordis familiarior redditus, in cor demùm pervehetur, ut paullò antè etiam dictum est.

Dari fortassis venenũ pestilẽs pulmonem impetens maximè, non cor.

At quid si etiam statuerit aliquis, dari venenum pestilens, non minùs ac alterius generis, quod pulmonem primò ac maximè impetat, non cor. Istius enim generis halitus pestifer, si in pulmonem admittatur, suis itidem cohibitus repagulis, quæ non pauca se offerre possunt, ne in pulmonem quidem vires suas veneficas statim exseret, nedùm in cor ipsum, hacq; ratione velut absconditus & marcescens latitabit. Neq; magni momenti est, quod aliquis prætendere hic possit, tùm loci caliditatem, thoracis nempe, & in eo constituti pulmonis, tùm meatuum amplitudinem, cujus utriusq; ratione halitus pestifer inde ad vicinos cordis ventriculos celerrimè transvolare queat: Idipsum enim impedient dubio procul eædem viæ abhumoribꝰ crassis viscidisq; ac lentis obstructæ, aliæq; caussæ in medium hactenùs productæ, cœlo præsertim frigidiore, quando pulmo refrigeratur continuò, & constringitur magis quàm dilatatur. Quin & systole sive contractio cordis, tunc præsertim major aut longior, quando obstructio adest pulmonis ab humoribus prædictis, ob majorem copiam fuliginum excernendarũ, aditum aliq; modo inhibebit halitui pestifero in ventriculos cordis; ipsiusmet item pulmonis constrictio major, propter vasorum obstructionem, pestiferi seminarii pulmone concepti motum reddet concitatiorem versùs asperam arteriã, quàm ad cordis ventriculos.

Obj.

Resp. 1.

2.

Hunc

Hunc igitur in modum, quia in pulmone occultari & latitare aliquando venenum pestilens comprobatum est: Age videamus, num etiam in locis quibusdam aut partibus vicinis, ceu in cavitate thoracis, diaphragmate, pleurâ, mediastino, thymo, in ipsâ deniq; cordis capsulâ seu pericardio, itidem sic detineri queat? Latitare etiam posse seminarium pestilens

Quid de thoracis cavitate sentiendum sit, haut opus est Hammonis oraculum consulere; cum extra controversiæ aleam positum sit apud medicos, materiam purulentam, non modò ex empyemate seu abscessu diaphragmatis, ut è pleuritide, sive crudâ etiamnùm exsistente, sive jam suppuratâ, materiam in cavitatem thoracis profusam, inde per membranam, qua pulmo succingitur, in carnem & vasa pulmonis transsumi, & anacatharsi sive tussiendo excerni; sed etiam ex ipsâ vomicâ pulmonis post peripneumoniam pus in thoracis cavitatem transfundi. Quidni ergò etiam halitus pestifer (cujus natura est undiquaq; diffundi & amplificari potiùs, quàm angustioribus terminis coërceri) pulmonis iteratâ frequenter constrictione, cùm non possit sursùm evolare, interdum è lateribus in cavitatem thoracis exsiliet ac evagabitur potiùs, quàm ut cor aut spiritum vitalem sibi atterendum expugnandumve aggrediatur? De diaphragmate major dubitandi ansa, propter insignem ejus consensum cum cerebro & corde, quâ de causâ Hippocrati in lib. de iis quæ ad virgines, cor & phrenes, *id est* diaphragma, dicuntur locus ἐπικαιρος seu *inprimis advertendus, & ad delirium ac insaniam oportunus.* Et Aristoteles 3. de part. animal. 10. *Phrenes ubi propter vicinitatem,* inquit, *attraxerint humorem calidum atq; excrementicium, continuò mentem sensumq; planè perturbant; quamobrem phrenes appellantur, quasi participes prudentiæ sint.* Quòd si ergò id accidit ab humore simpliciter calido, quid fiet halitu pestifero magnâ ex parte arsenicali & acri eandem partem obsidente? præsertim cùm & pericardio seu

In cavitate thoracis.

In diaphragmate.

seu capsulæ cordis ita arctè connectatur, ut citra læsionem ab eâ separari nequeat, & in motu versetur perpetuo, quâdiu vivit homo, cujus ratione qualitas venenata, si quæ fuerit suscepta, continuò exagitatur, nec unquâ quieta est. Verisimile tamen videtur, etiam ibi interdùm latitare seminarium pestilens, parte ejus carnosâ imbibitum, cujus & sensus hebetior, & minor consensus cum cerebro aut corde, si præsertim idem seminarium naturæ sit frigidioris & stupefacientis, cujus sunt cicuta, opium, & similia, nec non in hominibus temperamenti frigidioris humidioris q. Pertingit verò in substantiam hanc carnosam per venas & arterias diaphragma perreptantes, ob q id *phrenicas* nuncupatas; & longè quidem facilius, quàm materia purulenta è cavitate thoracis, aut in venam sine pari dictam anatomicis transsumitur, aut in arterias intercostales, judicio clariss. D. Pavvii celeberrimi quondam in academiâ Lugdun. Batav. anatomes & medicinæ professoris, ut inde ad renes & vesicam expurgetur.

In plevrâ. Eadem verò est ratio quo q de plevrâ sive membranâ costas per interiorem thoracis superficiem succingente, intra cujus duplicem velut laminam decurrentibus venis & arteriis, halitus pestifer in cavitate thoracis huc illuc oberrans, ingeri potest, ibidem q versùs musculos intercostales inclinatione factâ detineri aliquantisper, citra sensibile valetudinis dispendium. Quin & pinguedo juxta dorsi vertebras, ubi vasa reperiuntur majora, aliquando etiam membranæ plevræ adnata, juxta observationes Vesalii, Valverdi, & Bauhini, halitum pestiferum in se potest recondere & occultare; unde fortassis dolor dorsi aliquando excitatur, qui veram pestis invasionem seu præcedit sæpè, seu concomitatur, teste experientiâ; quanquam ejusdem doloris causa ut plurimùm videatur esse insignis illa perturbatio humorum ac spirituum in venâ cavâ & arteriâ aortâ, quæ vertebris secundùm longitudinem innituntur.

At nec

At nec mediastini cavitas, à reduplicatione pleuræ efformata, eundem halitum effugiet, quin & fovebit illum, aëri & vaporibus, aliquando item humoribus serosis & pituitosis, quibus oppletur, immersum; quippe cùm membranæ ejus tenuiores & molliores sint pleurâ, à quâ exoriuntur, & extrinsecùs non modò vasis donentur, sed sæpè etiam circa illa vasa multo adipe refertæ sint, instar omenti in abdomine; quibus sanè in partibus virulentia pestifera admitti & occultari aliquando possit. In mediastino.

Non minùs verò id ipsum fiet in thymo, corpore isto glanduloso, molli, spongioso, mediastini membranis fibrisq; in summâ thoracis parte sub sterno juxtà jugulum adnato, ob substantiæ laxitatem & humiditatem, quâ seminarium pestilens facilè detinetur & hebetatur. In thymo.

De pericardio demùm sive cordis capsulâ idemmet ausim asserere. Si enim vera est sententia vulgaris anatomicorum & medicorum, quam proponit & defendit excell. Andr. Laurentius lib. 7. op. anat. cap. 9. & quæst. 5. pericardium immediatè cordi non adhærescere, sed tantum ab eo distare, quantum ejus motus postulabat; ne quid autem vacuum esset, naturam in hoc spatium humorem sero & urinæ persimilem conjecisse, ne cor ob perennes motûs æstu incandesceret, tùm ut in eo velut innatans cor minùs grave esset animanti: Utrq; nihil obstabit, quò minùs seminarium aliquod pestilens, præsertim si virium sit remissiorum, humori huic aquoso frigidoq; immersum, vim nocendi exuat, aut saltem hebetetur. Sin autem naturaliter istiusmodi humorem eâ copiâ in pericardio reperiri non concedatur, in quam sententiam ego inclino in prælectionibus anatomicis, saltèm non poterit negari, in quibusdam hominibus à naturali statu quadamtenùs declinãtibus, talem aquam tantâq; copiâ reperiri; ceu in iis qui temperamenti sunt admodùm frigidi & humidi, & in aliis alio modo affectis; Atq; adeò In pericardio.

in talibus, qui tamen pro sanis alioquin habentur, virus pestiferum, citra sensibilem actionum consuetarum læsionem, aut periculum præsentaneum, delitescere.

CAPUT V.

QUOD IN CEREBRO & cerebello.

ETsi cerebrum, cujus nomine etiam cerebellum venit, à Galeno & medicis statuatur esse pars princeps corporis humani, immò principum principalissima, quippè in quâ resideat facultas animæ λογιστικὴ, judicio Platonis, *id est*, rationalis, sicut in corde θυμικὴ irascibilis, & in hepate ἐπιθυμητικὴ concupiscibilis, ob'q; id spiritibus abundet valdè temperatis, puris, nitidis, splendidis, & quasi æthereis: Eo tamen non obstante, pestilentis contagii seminarium in se admittere, & per non breve temporis intervallum fovere potest, citra sensibilem noxam homini illatam.

Halitum pestiferum deduci in cerebrum.

Quòd enim halitus pestifer, per inspirationem thoracis, asperâ arteriâ, pulmone & corde relictis, aliâ prorsus viâ in cerebrum sæpè abripiatur, non minùs verisimile est, quàm cap. 2. hujus secundæ disquisitionis probatum fuit, eundem ad ventriculum devolvi: quippe si aër ambiens, cui inhæret iste halitus, judicio Hippocratis & Aristotelis, locis supra allegatis, ut & medicorum omnium cum Galeno, in cerebrum ordinariè deducitur, tum odoratûs perficiendi, tûm spiritûs animalis generandi gratiâ, quidni unà cum aëre halitus pestifer illuc quo'q; deduce-

I.

deducetur? Cumprimis verò id fiet, si virus pestilens quâdam antipathiâ cerebrum potiùs invadere, quàm cor aut alias partes, natum sit, cujusmodi interdùm offerri cum Droëto & Quercetano testatur experientia. 2. Id autem aliquando contingere, memorabili comprobatur historiâ, apud Ambrosium Paræum in lib. de peste, cap. 12. 3. quæ sic habet: *Ego*, inquit, *cùm aliquando peste correpto homini, ad quem invisendum vocatus eram, propiùs & imprudentiùs adstarem, utq; bubonem, quem in inguine dextro, anthraces verò duos, quos in alvo habebat, intuerer, confestim diductis stragulis ipsum denudassem, actutùm densus vapor, teter & putridus ex rupto carbunculorum abscessu, tanquàm è fimo agitato, per nares in cerebrum mihi insiluit, ex quo obortâ lipothymiâ, mortuo similis præceps in terram sine sensu decidi; paullò post excitato, omnia velut vertiginoso in gyrum circumagi videbantur: iterumq; relapsurus eram, nisi apprehensâ lecti columnâ me sustentassem. Cæterùm una res me tùnc consolata est, quod affecti mihi cordis, dolore, aut palpitatione, fortive virium & contumaci exsolutione, nulla apparuerunt signa. Argumento dissipatorum tantùm spirituum à venenato vapore animalium, nullatenùs verò læsæ cordis substantiæ, confirmavit opinionem subsecutum mox sternutamentum tanto impetu decies repetitum, ut hæmorrhagiæ consequutionem attulerit, quæ me excretio, credo, omni veneni impressione liberavit.* H. Paræus.

Quòd verò non solùm admitti, sed etiam detineri in cerebro possit seminarium aliquod pestilens, quodam remporis spacio, antequàm sensibiliter incipiat lædere, præsertim conditionibus priore disquisitione propositis; tùm constitutio cerebri, quoad ea omnia quæ ipsi inesse per anatomen deprehenduntur, tùm actio & usus, non minùs juxta Galenum & medicos, quàm secundùm Aristotelis & peripateticorum placita, satis dilucidè videntur demonstrare. Eundem in cerebro detineri. Cõprobant.

Ante omnia enim cùm cerebrum consistentiæ sit mollis, laxæ, & viscosæ, teste αὐλοψίᾳ, sive eam libuerit medul- 1. Consistentia.

dullarem nominare, cum Platone, Galeno, & plerisq; anatomicis, sive glandulosam cum Hippocrate, ejus utiq; ratione ad suscipiendos & detinendos halitûs pestiferos, eorundemq; vim sive acrimoniam hebetandam, maximè, si quæ pars alia, erit dispositum. Et sanè multò magis, quàm aut pinguedo, caro, aliæq; partes corporis continentes, aut ventriculus & loca circa ventriculum, aut venæ & massa sanguinea, aut deniq; pulmo & partes ei vicinæ, de quibus hucusq; sermo fuit. Pleniorem verò huic rei fidem facit temperies ejusdem substantiæ cerebri frigida & humida, & quidem humiditate excedente frigiditatem, ut probat Thomas de Garbo lib. 1. summæ medicin. tract. 4. quæst. 38. Humidior item in homine quàm aliis animalibus, Aristoteli 1. de histor. animal. 16. *Sicut enim,* (autore eodem Philosopho 4. meteor.) *caloris est, segregare heterogenea; ita frigiditatis, congregare, incrassare, retardare, infringere, hebetare.* Humiditatis item est, alieno termino facilè, proprio difficulter, contineri, atq; adeò nullo aut exiguo conatu sese contrahere ad aliquid à se abigendum seu expellendum; quod tamen promptè & potenter facit siccitas ei contraria, ut in physicorum scholis habetur pro comperto.

2. Temperies.

Accedit quòd substantia cerebri, citra membranas quibus succingitur variis in partibus, sensûs expers sit, judicio Aristotelis 2. de partib. animal. 10. aut saltem obscuro admodum sensu prædita, quod in vulneribus capitis usq; ad substantiam medullarem penetrantibus observant chirurgi, tangentes eam specillis, comprimentes, avellentes, citra ullum sensum aut dolorem, qui à vulnerato percipiatur. Hac igitur de caussâ non facile irritabitur substantia cerebri ad expellendum id, quod qualitate molestum aut noxium est, & sic detinebit procul à corde, fovebitq; diu seminarium pestilens, ad quod propellendum derepentè insurgunt partes aliæ sensu prædi-

3. Sensus hebetior aut nullus.

tæ exquisitiore. Insu-

Insuper excedit cerebrum humanum magnitudine cerebrum aliorum animalium, adeò ut vasta ejus moles, instar nubis cujusdam in aëre, suspendatur in regione corporis sublimi, à corde & visceribus calidioribus remotâ; ubi sanè tanquàm in loco frigiditatis & humiditatis, non modò satis intensæ, ut jam dictum est, sed etiam ob capacitatem longiùs sese extendentis sive proferentis, susceptus halitus pestifer, aliquando detinebitur citra noxam sensibilem cordi illatam. 4. Magnitudo

Quò etiam facit copia excrementi frigidi & humidi in eodem cerebro, præsertim humano, ob amplitudinem, coacervata. Cùm enim eam ob causam cerebrum alimento debuerit abundare, substantiæ & temperiei suæ simili, nec verò idipsum concoquere semper sibíq; assimilare valeat, ob inopiam caloris, qui etiã in animales functiones, homini præsertim, distrahitur, nec excrementa inde resultantia plenariè expellere aut digerere, ob humiditatem; ab istiusmodi excrementis vix unquam futurum erat immune. Unde & Hippocrates in lib. de principiis, cerebrum frigidi & glutinosi nominabat metropolin. In lib. item de hominis structurâ, sub initium inquit, hominem constare ex quatuor humoribus, & assignando locum unicuíq;, asserit locum sanguinis & spiritûs esse in corde, flavæ bilis in jecore, atræ bilis in liene, & pituitæ in cerebro. Hippocrati quoq; consentiens Galenus in com. 3. aphor. 12. *Cerebrum*, inquit, *suâ naturâ pituitosis superfluitatibus producendis aptum esse.* Iis igitur invisçatum seminarium pestilens diu latitabit, viribus refractis & irrito conatu, ad corrumpendum corpus humanum cui inflictum est. 5. Copia excrementi frigidi & humidi.

Sed quid si etiam divisionem cerebri in partem superiorem & inferiorem, anteriorem & posteriorem, dextram & sinistram, latibulum præbere seminario pestifero asseruerimus? Etsi enim id probè unitum viribusq; integris 6. Divisio ejus in partes.

gris, confertim, & uno inspirationis impetu in cerebrum devehatur, istic tamen in tot velut mansiones dispertitum debilitari incipit, & simile quid experiri, quod milites non agmine numeroso, sed dispersè hostem præstolantes, aut invadentes: Nimirum ut supra declaratum est sub finem c. 3. primæ disquisitionis, quia vis dispersa imbecillior est virtute unitâ, idcircò halitûs pestiferi tot locis dispersi, aut facilè edomantur ab ipsâ naturâ, aut saltem remissiùs tardiùsq; perniciem inferunt.

Detineri autem sic possunt & delitescere, non minùs in eâ cerebri sede, quæ cerebellum vulgò dicitur, ob frigiditatem majorem & densitatem, venasq; & arterias pauciores, quàm in parte cerebri primariâ, quæ nomine totius ita insignitur, ob majorem substantiæ humiditatem, raritatem & laxitatem.

7. Connexio cũ aliis partib9 per arterias & venas.

Ejusdem rei documentum præbet connexio cerebri cũ aliis partibus, imprimis cum corde & hepate, interventu arteriarum & venarum. Hæ enim per interiorem cerebri substantiam usq; adeò exiles sunt, ut sensum effugiant, hacq; de caussâ Vesalio & recentioribus anatomicis cerebrum censeatur esse expers venarum & arteriarum, Aristoteli verò 2. de partib. animal. 7. dicatur nihil in se sanguinis habere. Easdem tamen demonstrabat olim Excell. Præcept. Patav. Fabricius ab Aquapend. sub specie punctorum sanguineorum, quæ sese conspicienda offerunt, quotiescunq; cerebri substantia medullaris parte profundiore per transversum discinditur. Quamobrem halitus pestifer viis patentibus, nempe per os cribriforme, meatûs olfactorios, foramina palati, & infundibulũ, ad ventriculos primùm cerebri, hinc q; in substantiam ej9 medullarem, ut vulgò nuncupant, delatus, inde meatibus tàm exilibus, perq; tot ambages in ipso cerebro, & labyrinthos in plexu choroide ac retiformi, vix ac ne vix quidem in cor devehetur. Immò ne quidem è substantiâ cerebri

rebri in venulas istas arteriolasq; angustissimas trãsumetur, quippè cùm de naturâ spirituũ & halituum sit, dilatari, diffundi & evolare è meatu angusto in locum ampliorem potiùs, quàm contrà è loco amplo cogi in meatum angustiorem.

8. Cavitates.

De cavitatibus autem cerebri, seu ventriculis, quid attinet verba facere? In confesso est apud præstantissimos anatomicos recentiores, & medicos primi subsellii, corũ usum non tâm esse, ut in iis spiritûs animales elaborentur conserventurq;, quàm ut excrementa nutritionis cerebri frigida & humida, in eos, tanquàm sentinam quandam, aut cloacam, deducantur, & inde expurgentur. In hanc enim opinionem utroq; pede discedunt Constantius Varolius Bononiensis lib. 1. anat. cap. 3. & in adjunctâ epistolâ ad Hieron. Mercurialem, Felix Platerus in tabul. anatom. p. 179. Andr. Cæsalpinus lib. 5. art. Med. cap. 2. & complures alii. Hanc verò assertionem etsi solidè, ni fallor, impugnaverim olim disputatione peculiari, in inclyto nostro Gymnasio habitâ, simulq; comprobaverim, ventriculos cerebri esse officinam præparationis & perfectionis spirituum animalium, quorum ministerio anima ad sensum & motum, atq; adeò etiam ad intellectum, utatur felicissimè: haut tamen negari à quopiam poterit, per eosdem quoq; expurgari excrementum cerebri pituitosum, à nutritione medullaris ejus substantiæ præcipuè resultans; Immò & in hominibus frigidiore aut humidiore cerebri temperie affectis, magnam sæpè pituitæ copiam in istis sinubus coacervari ac detineri, usq; ad excretionis opportunitatem, in quibus propterea actiones animales minùs vigent. Cum itaq; pro comperto habeatur, cerebri ventriculos, si non in omnibus hominibus, saltem in aliquibus, humore frigido, seroso, aut pituitoso satis superq; oppleri, non minùs certum erit, eidem humori immersum seminarium aliquod pestilens, & hebetioris futurum

turum virtutis, & cardioris operationis; quod est, citra noxam evidentem per aliquod tempus latitare.

At ponamus etiam, ventriculis hautquaquàm oppletis, sed à tali excremento prorsus liberis, admitti halitum pestiferum: Istic sanè detinebitur aliquantisper, hincque vel in substantiam cerebri medullarem aut glandulosam undiquaq; dispergetur, vel per infundibulum ad palatũ, vel per olfactorios meatûs ad nares, vel per quartum ventriculum ad spinalem medullam & nervos devolvetur, relicto corde, atq; adeò pestem non inferet, sed aut dissipabitur per easdem vias, aut vertiginem, epilepsiam, paralysin, similesq; affectûs inducet.

9. Superficies. Quod si verò circa superficiem cerebri detineatur halitus pestifer, nempe intra partes ejus sulcorum more prominentes, quæ vulgò spiræ nuncupantur; cùm istic difficilis reperiatur via ad cor, longa admodùm & anfractuosa scilicet, multò autem brevior ad sinûs crassæ meningis, & inde ad cranium, cui contigua est crassa meninx, & futuras ejus: quis dubitabit asserere seminarium pestiferum, & in ipsa superficie cerebri, & in partibus vicinis, ceu tenui crassaq; meninge, præsertim intra ejus sinûs, aliquo tempore latitare, antequàm ad cor deferatur, si nõ prorsus superetur & discutiatur, ibidemq; capitis dolorem non levem excitare? Nec demum sicco pede præterire fas est glandulas cerebro & ejus vasis adjunctas,

10. Glandulæ vasis adjunctæ circa plexus. circa plexus, tam choroidem, quàm retiformem, ut & circa processûs quosdam cerebri, à figurâ, nates & testes appellatos. Choroides quidem plexus geminus est, unus in dextro, alter in sinistro, anteriorum sive superiorum cerebri ventriculorum, collocatus, glandulis, minutissimis licet, usq; adeò refertus, ut quidam anatomicorum, inter quos Constantius Varolius Bononiensis, glandiformem appellandum esse censuerint. Retiformis, alio nomine rete mirabile, non minus in homine quàm

quàm brutis animalibus, ad basin cerebri reponitur, inq; medio sui glandulam comprehendit sellæ sphenoidi insitratam, quæ Realbo Columbo anatomicorum coryphæo lib. 7. de re anatom. excrementorum cerebri sentina & cloaca nuncupatur. Testes autem & nates cerebri intra se continent glandulam itidem satis conspicuam, conarii nomine insignitam. Cum itaq; usus glandularum, judicio medicorum, sit, non modò fulcire vasa quibus eæ adjunguntur, sed etiam impuriores & inutiles sanguinis iisdem contenti partes inde extrahere & absorbêre, nemini dubium esse potest, venenatos quoq; halitus sanguini insidentes per easdem glandulas extrahi, in iisdemq; detineri sæpè citra periculum aliquod cordi aut spiritibus vitalibus communicatum.

II. Usus.

Porrò actionem aut usum cerebri contèmplantibus, sive id præsumatur conditum esse in gratiam elaborationis spirituum animalium in ventriculis & totâ substantiâ cerebri, ut medici statuunt cum Galeno 8. de usu partium, locisq; infinitis aliis, sive gratiâ temperandi caloris fervorisq; in corde, ut Aristoteles videtur statuisse 2. de partib. animal. 7. Excrementi frigidi & humidi inde resultantis magna sese offeret copia in cerebro & circa cerebrum. Spirituum namq; animalium generationem non fieri, nisi segregatione partium crassiorum, ipsemet asseruit Galenus 8. de usu part. 12. Sic inquiens: *Multum enim quibuscunq; materiis inest excrementum, quo separato atque excreto & eo quod utile est reliquum convenientem qualitatem adepto, ad propositum finem jàm perventisse opificem rectè dixeris.* Segregatio autem partium crassiorum, aquearum & terrearum in sanguine cordis ad cerebrum evecto, perficitur frigiditate cerebri, incrassante partes istas aqueas & terreas, ut incrassatæ non ita exquisitè permiscantur amplius partibus aëreis & igneis, sicq; ab iisdem separentur demum à cerebri substantiâ aqueâ & terreâ, judicio

Aristotelis 2. de part. animal. 7. in nutrimentum attractæ. Iis separatis partes tenuiores ab eâdem frigiditate cerebri his proportionatâ cohibentur, ne rarefiant nimiùm, sicq; in auras evolent, sed potiùs velut pabulum excipiantur ab insito cerebri spiritu, eidemq; assimilentur. Qua quidem ratione è spiritu vitali fieri animalem, fusiùs à me comprobatum est in prælection. anatomicis de cerebro. Hinc autem liquidò perspicitur, non magnoperè dissentire Aristotelem à Galeno in usu cerebri assignando, quippe cum Aristoteles proposuerit caussam adjuvantem, & sine quâ non, elaborationis spirituum, ut animalibus functionibus edendis fiant idonei, quæ non ita patebat omnibus, suppresso interim vero efficiente organico istius elaborationis, tanquam unicuivis noto (prout frequenter solet facere philosophus) nempe calido insito, seu spiritu ipsius cerebri, cujus tamen etiam meminerat verbis paullò præcedentibus inquiens: τῆς ψυχῆς (τοῖς ἔργοις) ὑπηρετικώτατον τῶν σωμάτων τὸ θερμὸν ἐστι. id est, *animæ operibus sive operationibus maximè inserviens est calidum quod inest corporibus.* Quòd si hæc non arriserint philosophis aut medicis horum temporum, age assumamus recentiorum placita, inprimis Ludov. Mercati lib. 1. oper. medic. part. 4. quæst. 126. & Andr. Laurentii lib. 10. anat. quæst. 11. sub finem, spiritum vitalem in cerebro attenuari & fieri animalem, à cerebri vi innatâ & calore proprio insitoq;, licet remisso; aut ut Dominicus Bertachius loquitur lib. 4. de spiritibus cap. 8. à totâ ejus substantiâ seu formâ substantiali; aut ut Archang. Picolhominus in prælect. anatom. p. 278. à proprietate temperamenti, seu certo mistionis gradu, qui nobis sit incognitus. Quomodocunq; res agatur, utiq; in tali generatione unius ex alio partes quasdam impuras, crassas, inutiles, & excrementicias, naturæ aqueæ & terreæ, segrega-

gregari necesſum erit, quod itidem loco allegato 8. de uſu part. 12. innuebat Galenus. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, multumq; excrementi frigidi & humidi decidatur à generatione ſpiritûs animalis è vitali, quemcunq; hujus generationis modum aliquis fuerit amplexus, facilè perſpicitur, etiam hac ratione idoneum latibulum præberi ſeminariis peſtiferis, in excremento cerebri frigido & humido, à converſione ſpiritûs vitalis in animalem exurgente, quod erat demonſtrandum.

CAPUT VI.

QUOD IN OCULIS.

OCulis admitti poſſe ſeminarium peſtilens, ita perſuaſum habetur multis, ut etiam ipſe viſus peſte aliquem inficere judicetur à clariſſimo Joſ. Quercetano lib. 1. peſtis alexic. cap. 2. (m. p. 48.) hâc verborum ſerie: *Contagium verò etiam ſolo mediante viſu ſeu aſpectu ſuscipi poſſe, licet à multis incredibile videatur, minore tamen difficultate probatur, idq; ducto argumento à minore ad majus, ſi enim vitium aliquod per ſolum aſpectum communicari ac in aliud ſubjectum transferri poſſit: quare non per eundem viſum ab alio ſubjecto forinſeco contagium recipietur? ſiquidem major longè vis & efficacia ad depromendum & communicandum, quàm ad recipiendum requiritur. Ad aſpectum verò mulieris menſtruo laborantis etiàm ſpeculo ſolidiſſimo maculas, quæ non niſi magno artificio deleantur, quaſi inſculpi, tradunt philoſophi quàmplurimi. Sed quid multis argumentis opus eſt, cum rerum teſtimonia adſtent in procinctu. Quis enim neſcit ophthalmiam ſeu lippitudinem, morbum contagioſum eſſe, ſoloq; aſpectu oculi affecti acquiri? ut hîc taceam graviſſimorum autorum teſtimonia, Euagrii videlicet &*

Nicephori, qui pestem ex solo aspectu infectarum ædium contrahi posse, pari sententiâ confirmârunt.

In partibus exterioribꝰ

E quo discursu id non obscurè elicitur; Pestilens seminarium aliquando externis seu continentibus oculorum partibus suscipi ac detineri, quandoquidem halitus quocunq; modo inficiens, seu speculum seu oculum alterius hominis, non tàm è centro seu partibus interioribus, & ipsâ pupillâ oculi, mulieris menstruo laborantis, aut hominis lippientis, emittitur, quàm è venulis arteriolisq; tunicæ albæ, quæ subjectum lippitudinis est principale, ut & è glandulis venularum & arteriolarum plenis, ad oculorum angulos, quæ sanguinis in corpore commoti vitio itidem sunt contaminatæ. Simili itaq; ratione dùm oculi convertuntur versus ædes infectas, aut ipsosmet homines infectos, præsertim è propinquo, facilè fieri poterit, ut halitus aliquis pestifer inde extrudatur (sicut ex oculo lippientis, aut mulieris menstruo laborantis) in oculum hominis transeuntis & ædes istas personasve inspicientis, quo inficiatur oculus illico. Atqui sicut speculum à muliere menstruum patiente, & oculus hominis sani ab homine lippiente, secundùm partes duntaxat superficiarias afficitur: Ità etiam oculus ab istiusmodi haliru pestifero; aut venulis arteriolisve tunicæ albæ, aut caruncuits ad oculorum angulos, solummodò contaminabitur.

Sed non deest etiam alius modus aliaq; via, per quam oculus inficí possit contagio pestilenti, nempe eo ipso per nares primùm attracto, & inde ad caruncuias venulasq; & arteriolas majoris oculorũ anguli deducto, per quandam rimam ossi angulum hunc continenti in utroq; oculo insculptam, de quâ eleganter discurrit clarisf. P. Pavvius in primitiis anatom. part. 1. cap. 9. his verbis: *Insigne in his, (ossibus) providæ ac sagacis naturæ artificium, rima scilicet, quâ mediante oculis contenta superflua per nares se effundunt*

dunt. Quotidianus id testatur usus, non solùm excrementa aquosa, sed & solida oculis inhærentia, putà pulviſculos, ſordes, muſcas, validâ emunctione per nares prodire. Transferuntur autem per hæsce horum osſiculorum fiſtulas; quarum initiis exiles appoſitæ caruncułæ, collectioni dictarum ſordium dicatæ, quibus ab acri aut maligno catarrho conſumtis, aut earum retentrice vi læſâ, videmus oriri lachrymalem illam fiſtulam, quam ἀτγίλωπα græci vocant. H. Pavv. Idem verò longè ante ipſum propoſuit Galenus 10. de uſu part. 11. *Operimentum*, inquiens, *foramini quod eſt ad nares, corpus hoc carnoſum, quod eſt ad angulum majorem (oculorum) natura impoſuit. Utilitas autem illius foraminis animali eſt duplex: una quidem, quam ſupra memoravimus, cum de nervis à cerebro ortis ageremus, alia verò quam nunc tempeſtivè referemus. Confluunt per foramina hæc in nares omnia oculorum excrementa, & medicamenta quidem ocularia multi plerumq; poſt inunctionem exſpuerunt, alii verò emunxerunt. Ad eundem enim uſum meatus hic ab angulo in naſum eſt perforatus, ad quem & naſus ipſe in os: quandoquidem emungentibus per naſum quod confluit, excidit, excreantibus verò per os.* H. Galenus. Quibus Galeni verbis alia inſuper via ad oculos haut obſcurè indicatur, nempe foramen geminum ex oris cavitate & palato ad nares, per quod itidem halitus peſtifer ore exceptus per nares ad majorem oculi angulum non minùs devehi poſſit, quàm excrementa oculorum per nares quidem emungendo, per os autem exſcreando illic educuntur. Si enim ab oculis excrementa craſſiora & unguenta ocularia, ut Galenus teſtatur loco allegato, ad nares & os deponi poſſunt, quidni etiam ab ore & naribus aura peſtilens ad oculos per easdem vias deducetur? Quamobrem in iſtis exterioribus oculi partibus aliquandiu detentus halitus peſtifer fovebitur ac latitabit, citra vitium cordi illatum, & ſanitatis vitæq; ſenſibilem jacturam, usq; dùm vel evolet inde rurſus in auras, vel etiam ad interiores corporis receſſus abripiatur.

In partibus interioribus

Ac nec intermortuam pyrrhonis ἀναλαλησίαν ab orco in lucem protrahere erit, asserere halitum pestiferum, dum locis infectis adpropinquat homo, in oculi quoq; interiora, seu per pupillam, seu aliis viis deduci: præcipuè si pestilentis constitutionis ea sit proprietas, ut oculos invadere nata sit; qualem commemorat Eusebius lib. 9. hist. eccles. sub Imperat. Maximino grassatam esse, adeò ut ulcera, quæ carbunculos vocant, per totum serpentia corpus, periculosos morbos inferrent, & præsertim oculis occupatis, multa virorum, mulierum & puerorum millia mutilarent, quos inter ipse etiam fuerit Imperator Tyrannus, morbo acerrimo afflictus, & oculis captus. Intra oculos sanè repositi inveniuntur humores consistentiæ inæquabilis, tenuioris, crassioris, rarioris, densioris, mollioris, durioris, fluidæ, concretæ: temperamenti item frigidi; spiritibus quidem referti, sed humorum substantiæ prorsus immersis, & à primarum qualitatum excessu ità liberis, ut quasi æthereos dixeris. Humoribus circumjectæ tunicæ, quædam satis molles, raræ & laxæ, præsertim quæ reticularis dicitur, medullaris nempè cerebri substantiæ soboles, Vesalio cerebri substantiam aquâ dilutam referens, aliis muco similior, quàm substantiæ cerebri, obq; id è tunicarum censu excludenda aliquorum judicio, quibus patrocinari videtur quoq; Galenus. 10. de usu part. 2. Et his igitur corporibus immersum latitare nonnunquam halitum pestiferum nemo inficiabitur; etsi fortassis cum quadam visûs hebetudine, aut perturbatione interdum, qualis principio suffusionum propria est.

Quomodo ex oculis ad cerebrum & cor perveniat halitus pestifer?

Istic verò postquàm latitaverit aliquandiu ille halitus, ad cerebrum, & inde ad cor deduci poterit, tùm per nervum opticum, tùm per venulas & arteriolas.

Per nervos opticos.

Quia enim tunicæ principaliores globum oculi efformantes nihil aliud sunt, quàm triplex substantia nervi optici

tici sic dilatata & in tunicas orbiculares expansa, omnium consentientibus suffragiis, seminarium aliquod pestilens intra oculos detentum, nervo optico reverâ jam continebitur, atq; adeò ejus interventu in cerebrum devehetur. Multoq; magis & expeditiùs ista fiet devectio, cùm ipsi nervi optici nondum expansi, teste Galeno ut 16. usu part. 3. & cavi intùs sint, & suis productionibus superioribus ventriculorum cerebri finibus conjuncti.

In venas & arterias,

Quod ad venas & arterias, etsi eas in oculi interiora pertingere negaverit excellentiss. Fel. Platerus in tab. anat. p. 186. & in praxi Med: cap. de visûs læsione p. 213. contrarium tamen asserunt alii, inter quos eminentissimus Fabric. ab Aquapend. in lib. de oculo part. 1. cap. 5. *Venas habet,* inquiens, *retina tunica, (intima scilicet, quæ humori vitreo retrorsum adjacet) plures valdeq; conspicuas, sed tamen exiles admodùm, ac potissimùm in interiore parte, quæ sanguinem tenuem floridumq; continent.* Iis arterias addit J. Casserius Placentin. in lib. de oculo. sect. 1. cap. 13. Sed his longè antiquior Galenus 10. de usu part. 2. de tunicæ retinæ seu retiformis usu agens, citra hæsitationem eadem à se observata vasa describit. *Utilitas ipsius prima quidem,* inquiens, *ac maxima, propter quam fuit demissa, ut cum crystallinus alteratur, id sentiat: Præterea ut vitreo humori alimentum advehat, siquidem arteriis ac venis multò crebrioribus, ac quàm moli suæ conveniat, majoribus referta conspicitur. Nam cum nervi omnes qui à cerebro proficiscuntur, portione quadam meningis χοροειδὲς unà secum enatâ obducantur, quæ arteriam secum aufert ac venam, nulli tamen aliorum sunt, quibus cum magna adeò vasa exeant, naturâ alimentum providente ac præparante, non nervis modò, verùm etiam oculorum humoribus.* H. Gal. Ratio item observationem confirmat, desumta à necessitate, tùm nutritionis partium oculi interiorum, tùm augmentationis debitæ ad proportionem totius capitis, quæ cum hautquaquam peragi possint alimento per crassas densasq;

oculo-

oculorum tunicas transudante, talium vasorum insertionem quàm maximè videbantur requirere. Et reverà ꝗd involucrum istud humorum in oculis, cerebri medullari substantiæ continuum, non collabitur, sed instar alicujus retis expanditur, vnde & tunica ἀμφιβληστροειδὴς nuncupatur, quod item nonnihil subrubrum existit, ut ipsemet notavit Platerus: Id ipsum venulis & arteriolis acceptum refert, fibrarum more substantiæ huic molli & flaccidæ intertextis, eidemꝙ cohærentiam & consistentiam talem conferentibus. Quæ cum ita se habeant, quibus vasis à corde & hepate alimentum adducitur partibus oculorum interioribus, tàm θρεπτικὸν quàm ἀυξητικὸν, per eadem aliquando reduci ad cor halitum pestiferum oculis susceptum, nemo, opinor, inficias iturus est.

CAPUT VII.

QUOD IN AURIBUS.

Auribus quoꝙ suscipi contagium pestilens, susceptumꝙ detineri, haut videtur itidem à ratione alienum, sive externam earum regionem perpendamus, sive interiores recessus. Exterior enim auris, quæ auricula nuncupatur, introrsum versùs aurem internam variis cavernulis, instar conchæ excavata, sicut aërem sono affectum promptè admittit, ita & halitum pestiferum in aëre oberrantem facilè excipiet & detinebit superficie præsertim suâ pilis hirtâ sordibusꝙ oblitâ, & quidem in canali interiore ossibus cranii obliquè insculpto, quem meatum auditorium vocant anatomici, ubi & animalcula interdum velut inviscata detinentur, quæ tamen cum ab in-

In aure externâ.

ab interno principio sponte moveantur, facili negotio remeare possent. At quonam modo, *inquiet aliquis*, in aurem interiorem halitus pestilens deveniet, ut tandem aliquando corporis penetralia subeat, & vitale cordis robur invadat? Obsistere enim videtur membrana satis densa, meatui auditorio & cavitati auris internæ, quæ pelvis dicitur, interjecta, vulgò tympanum appellata, cujus usum statuunt esse, tùm in tutelam aëris auri internæ implantati, ne is vel sponte diffluat, vel à sono vehementiore dissipetur; tùm ad cohibendum appulsum aëris externi, aëri implantato sæpè non proportionati: si autem ne aërem quidem ambientem auris interna admittit, multo minùs pestifero halitui, qui aëre crassior, aditum concessura est. Dubitationi huic solvendæ jam pridem incubuit solertissimus anatomicus Volcherus Coiterus in libel. de auditus instrumento cap. 6. *Septum istud auri interiori adpositum factum esse*, inquiens, *ex substantiâ membranosâ, eâq; tenuissimâ ac pellucidâ, verùm densâ, nullis poris conspicuis præditâ, ob densitatem externa mala propellere, ob tenuitatem sonum aëremq; subtiliorem transmittere, &c.* Quapropter etsi membrana illa, tympanum dicta, aëri implantato usum præstet ab anatomicis assignatum, ne scilicet aër implantatus ullo pacto perturbetur, continuo aut impetuoso appulsu aëris ambientis, ad sonum tamen propagandum omnino necessarium erat, aërem externum aliquo modo continuum reddi aëri auribus implantato, si quidem ipsius soni, qui auditus objectum est, essentia consistit in successivâ quadam & continuâ generatione, ut philosophi docent; continua autem generatio subjectum requirit continuum nulloque modo interruptum. Sicut igitur, si tantillum opaci interponatur perspicuo externo aëris, vel aquæ, & perspicuo interno oculi, coloris species visum hautquaquam afficit, ità etiam nisi aër, in quo sonus primùm editur, velut subjectum trans-

In aure internâ.

Obj.

Resp.

Ex hypothesi, sonũ materialiter deduci in aurem internam.

sonorum, continuus reddatur aëri intra aurem, vix ac ne vix quidem auditus peragetur. Fit autem idipsum interventu membranæ, densæ quidem, seu poris conspicuis destitutæ, sed tenuissimæ, & sic spiramentis cæcis abditisq; non rectis sed obliquis, continuum reddens aërem internum aëri externo sonis affecto, sicut etiam contingere solet, quando sonus per parietem crassum propagatur & exauditur. Id enim non fieri saltem intentionaliter, sed realiter & materialiter, ut sic loquamur cum Philosophis, confirmatur ex Aristotele 11. sect. problem. 49. ubi φοβὸν, *id est, sonum, dicit esse* πνεῦμα, *id est spiritum, nempè substantiam corpoream.* & problem. 61. *Vocem esse quendam aërem, nempe qualitatem ita infixam aëri, tanquàm subjecto suo proprio, seu materiei adpropriatæ, ut sine eo non possit subsistere*; hancq; ob caussam τὸ φῶς, *id est*, lumen, tenuius licet, longiùsq; penetrans, & velocius, non penetrare corpora solida, spissa & crassa, (ita enim verti debet, διὰ τῶν πυκνῶν & διὰ τῶν στερεῶν apud Arist. loc. cit.) quæ tamen penetret sonus & vox; quia scilicet lumen, cùm sit quidpiam spiritale magis quàm materiale, ad visum non nisi uno & recto tramite, *id est*, poris rectà protensis, quales non sunt in corpore aliquo crasso & spisso, diffunditur; sonus autem & vox, ceu qualitates materiei immersæ magis, nempè aëri, abq; eo vix ac ne vix quidem possunt propagari, atq; adeò unà cum aëre percusso, undiquaq; per poros corporum quorumcunq;, seu rectos & conspicuos, seu obliquos & absconditos ad auditum protenduntur. Idem satis perspicuè docuit Galenus 8. de usu part. 6. sic inquiens: *Quoniam sonus & vox idipsum erant,* (scilicet objectum sensibile auribus excipiendum) *sive aër percussus, sive aëris quædam percussio, nihil enim interest, modò unũ hoc duntaxat constet, motum* (scilicet aëris) *qui percussione fit, quasi undam progredi oportere, atq; ad cerebrum adscendere.* H. Gal.

Nimi-

Nimirum non obstante operimento auri adjecto, *id est* membranâ, quæ tympanum hodiè appellatur Anatomicis Id enim licet imbecille (*sic enim vertì hîc debet* τὸ ἀραιὸν) & tenue, adeoq; aëri quadamtenùs penetrabile ac pervium, dummodò mediocre aliquod subsidium ad securitatem adeptum esset, judicio Galeni verbis mox sequentibus, satisfacturum erat auri contra injurias externas & corpora illapsura, dum os durum ac densum flexibusq; obliquis pertusum ei natura adposuit. Id ipsum verò accipit dubio procul Galenus ab Hippocrate in lib. de principiis cujus hæc sunt verba: *Pellicula*, inquit, *in aure juxta os durum tenuis est velut aranearum tela, & omnium pellicularum siccissima.*

Ex hypothesi, sonũ intẽtionaliter duntaxat in aurẽ internam propagari.

Aërem externũ penetrare in aurẽ per membranã, quæ tympanum vocatur.

Quòd si hæc non arriserint iis, quorum opinione sonus quidem ad aures materialiter deducitur, intra eas verò per species duntaxat seu intentionaliter suscipitur; iidem negare haut poterunt, aërem ambientem etiam nullo sono affectum, si non confertim irruere (quod omninò prohibet membrana tympanum dicta) saltem insinuari sese paullatim per eandem membranam in aurem internã, siquidem nulla pars corporis humani ita densa est aut compacta, quæ non sit perspirabilis, juxta istud Hippocraticum in lib. de alimento: ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, *confluxio una, conspiratio una.* & 7. epidem. sect. 6. in principio, ἔκπνοιον καὶ εἴσπνοιον ὅλον τὸ σῶμα, *Corpus totum tàm foràs quàm intrò spirabile.* Quod considerans Galenus in lib. de usu part. cap. 5. confirmat assertionem Hippocratis ceu verissimam & illustrat exemplo arteriarum, quæ non modo oculis suis apertis, sed etiam tenuibus meatibus, quos velut spiramenta per toras habent tunicas, ex circumpositis spatiis vicissim trahunt & expellunt. At quis arterias, spiritûs vitalis continendi & devehendi gratiâ conditas, densitate membranarum asseruerit cedere

membranæ huic auribus adpositæ? Speciatim verò de eadem membranulâ id comprobat excretio spiritûs flatulenti ex auribus, quæ cum quodam sibilo perficitur, ut & saniei post inflammationes, ex aure internâ, citra membranæ disruptionem, persæpè fluitantis, materiei scilicet longè crassioris, quàm sit ipse aër aut halitus pestifer.

Nec minùs hüic rei attestantur sordes satis crassæ & viscosæ, quæ in meatu auditorio, cis membranulam auri interiori adpositam, quotidiè colliguntur, & ipsius quidem cerebri sunt recrementa, juxta sententiam Medicorũ, seu à nutritione ejus, seu à generatione spiritûs animalis resultantia: quæ cùm per ossa dura & crassa, quibus undiq; cerebrum obvallatur, non possint excerni, ad latera necessariò protruduntur, sicq; per aures expurgantur. Expurgari autem vix possunt aliter, quàm transsudando membranulam prædictam, unde & Aristoteli 32. sect. problem. 4. ἰδρὼς σαπρὸς, *id est, sudor putridus* nuncupantur. Inibi verò ob loci frigiditatem condensantur & incrassantur, & sic crassiorum sordium naturam induunt. Quidni ergò & aura pestilens, præsertim sono, ventis, aliisve modis, in aurem impulsa, aut etiam ab aliquo homine adspirata, eandem quandoq; pervadet? Nec officit nostræ assertioni responsio quædam excell. Julii Casserii Placentini, mei quondam in anatome præceptoris Patavini solertissimi in lib. de auribus sect: 1. cap. 18. Humorem quidem talem ex aure internâ facilè penetrare membranam, tympanum dictam, quia & facile descendens per meatûs cerebri jam antea fuerit transcolatus in cavitatem auris internæ, & actu caleat; aërem verò externum non item, tùm quia is actu sit frigidus, & frigiditatis ratione naturalem densitatem membranæ adaugeat, tùm quia ad tympanum non perveniat rectâ viâ, sed anfractuosâ & contortâ, in quo transitu suas amittit vires.

Obj.

Resp. Nam si aër in transitu per viam istam anfractuosam & contor-

contortam, ut ait Casserius, vires suas amittit, & præcipuè vim refrigerantem, quod etiam Galenus innuebat 8. de usu part. 6. flexuum varietate in osse frigidi aëris vires integras sensim inquiens exolvi: quomodo is actu frigidus tympanum subibit? aut frigiditate sibi ipsi viam obstruet? Insuper si ita velimus arguere, utiq; meatûs cerebri quibus sordium istarum materia ad aurem deducitur, laxiores & ampliores sunt poris istius membranulæ, nec non calidiores auris internæ cavernis, præfixâque iis membranulâ. Illuc ergò deducta materia, ob loci frigiditatem, hautquaquàm rarior & ad penetrandum per membranulam istam aptior evadet, ut ipse videtur præsupponere. Sed quid si etiam *aura* quædam pestilens aëre tenuior esse statuatur & penetrantior, sicut alia dantur venenata ejus subtilitatis, ut naturæ quasi sint spiritalis & incorporeæ? Tale quid enim manifestè deprehenditur in iis, quæ stapedibus illita, ocreas equitantium, tibialia, densissimamq; cutis, & tendinis lati in plantâ pedum substantiam, penetrare solent, teste experientiâ, cum præsentissimo vitæ periculo, aut si vis eorum sit paullò hebetior, cum ejusdem procrastinatione quâdam.

Auram quandã pestilentẽ esse tenuiorem aëre.

At relinquamus etiam membranam tympani, ob densitatem, cujus ratione impervia sit halitui pestifero: Annon transitum concedet eidem musculus quidam à præclarisſ. præceptoribus meis D. Fabricio ab Aquap. & D. Casserio Placentino primùm inventus & descriptus, in meatu scilicet auditorio extra membranam tympani, carneus, tenuis, longus, rotundus, qui tendine suo inter membranam tympani & eam ossis temporis partem, à quo osseus prodit annulus, (membranam in circuitu sustinens) in principaliorem auris internæ cavitatem, conchamscilicet, se insinuat, & istic in caput ossiculi, mallei dicti, terminatur juxta Casserium Placent. ad malleum unà cum membranâ tympani extrorsùm nonnihil flectendum

Halitum pestilentem penetrare musculum auris internæ.

dum, sicq; impulsum violentiorem istius membranæ versùs interiora inhibendum, judicio Fabric. ab Aquap. Iste enim musculus eâ gaudere debebat, tùm corporis sui, tùm loci, quem suo tendine transit, laxitate, ut versùs principium suum, quando opus est, contrahi posset. Nihil iraq; absurdi in se continebit hæc assertio, seu per talem musculum consistentiæ laxioris, seu per foramen quod musculi istius tendini transitum largitur, virus pestilens in aurem interiorem aliquando sese ingerere. Fortassis enim & quæ ab aure internâ excernuntur, flatus, sanies, & sordes, velut paullò ante dictum est, eâdem viâ potiùs, quàm per tympani membranam deducuntur.

Halitum pestiferũ è palato dededuci in aurẽ internam, per aquæductũ.

Si quis nondum acquieverit; En aliam viam & patentem satis, & anatomicorum suffragiis adprobatam; nempè meatum aquæductui non absimilem, è cavitate auris internæ, quæ Concha dicitur, in finem palati sive narium amplitudinem, prope radicem gargareonis, pertusum, quem etsi veteribus incognitum fuisse arbitretur cum Recentioribus Andreas Laurentius lib. 11. anatom. quæst. 11. Aristoteles tamen omninò perspexit, 1. de histor. animal. 11. *Ex auribus*, inquiens, *in oris palatum usq; sese mitam protendi*, juxtà Gazæ translationem. Et 11. problem. 29. rationem reddens, cur oscitantes minùs audiant: *An*, inquit, *quod exeuntis spiritûs inter oscitandum multum, aures etiàm intrinsecùs subit?* Et 32. problem. 13. *Spiritus*, inquit, *ut in os, ità etiàm in aures irrumpens, membranam extrudit, ac prohibet, quò minùs sonus ingrediatur.* Ad quam Philosophi assertionem excell. Fabricius ab Aquapendente lib. de aure part. 3. cap. 11. *Sic etiàm*, inquit, *dùm nares emungimus, & spiritum cohibemus, semper aërem in aures ingredi percipimus.* Id verò non nisi interventu ejusmodi meatûs perficitur; Cujus usum statuunt Anatomici, tùm ut expurgando aëri auribus insito, & earum recrementis dicatus sit, tùm ut idem aër novi aëris per os inspirati appulsu recrec-

Pro Aristotele contra Anatomicos recentiores.

ereetur, tùm ut aëri externo per auris foramen impetu irruenti (ceu bombardarum ſtrepitu) per hanc viam pateat aditus, denicq; ut ſurdaſtris, ob aliquod vitium membranæ tympani, ſuccurratur, ſono per hunc meatum ex ore ad aurium penetralia devecto. Quod ſi ità eſt, rurſus in propatulo eſt, hoc eodem ductu halitum peſtiferum in aurem internam aliquando pertingere.

Sed quid pluribus opus? Medici graviſſimi & experientiſſimi (quorum catalogum recenſere, extra ſepes inſtituti noſtri poſitum eſt) ſeſe & alios ab aurâ peſtilenti præſervandi gratiâ, non modò os & nares, ſed etiam aures, irrigationibus & inunctionibus variis præmunire inſtituunt: non aliâ de cauſâ, quàm quod his quoq; partibus ſeminarium peſtilens admitti & intra corporis penetralia deduci perſuaſum ſibi habeant. Quibus omnibus ſic conſtitutis & pro virili, (etſi longiore nonnihil excurſu) comprobatis, ſi jàm inquiſiverit aliquis de halitu peſtifero in aurem internam devecto, quibusnam ejus in partibus, & quomodo illic detineatur, latiteq; per aliquod tempus, antequàm intimiùs abripiatur, vimq; ſuam perniciosam in apertum proferat? Reſpondendum 1. Ipſum detineri velut compedibus conſtrictum, intricatum & obſeptum cavernulis inæqualibus & aſperis, foraminulis, anfractibus, ſpiris & cuniculis trium cavitatum auris internæ: ubi etiàm ob ſoliditatem oſſeam, & loci frigiditatem vires ejus non parùm cohibentur ac infringuntur. 2. In excrementis ejusdem auris internæ, de quibus ità ſermocinatur excell. Præcep. Fabric. ab Aquap. in lib. de aure part. 3. cap. II. *Internam aurem*, inquit, *multis excrementis fluxionibusq; ac deſtillationibus obnoxiam eſſe, tùm antra & cavitates plurimæ, quæ ad excrementorum receptionem velut ventres ac paratæ cloacæ videntur, tùm ſitus earum infernus, tùm cerebrum membrorum omnium humidiſſimum, ac maximè excrementoſum, quod illis ſuperſtat, tùm demùm excrementa, quæ foris per*

Conſenſus Medicorũ.

Halitus peſtifer q̃ modo detineatur in aure internâ.

1.

2.

vis per transſudationem extra membranam colliguntur, evidentiſſimo ſunt argumento. Si enim illa quæ per denſam membranam transſudando exeunt tot ſunt, quantò erunt plura intus latentia? quando per membranæ denſitatem nihil exire poteſt, niſi tenuiſſimum. Equidem, ut verum fatear, non ſemel, ſed iterum & ſæpius, in pueris maximè, internas cavitates craſſo humore multo velut muco refertas comperi, quem ſanè vel aurem penitùs obturare, vel in flatum à calore innato converti erat neceſſe: unde tinnitus, aurium dolor, & auditus depravatus conſequerentur, ſi priùs quàm id contingeret, per patentem meatum mucor non expurgaretur. H. Fabric. ab Aquap.

3. 3. Fortaſſis etiàm membranulæ molli, tenui, & raræ, interiorem aurem ſuccingenti, inhærescere poteſt aliquo temporis decurſu halitus peſtifer, usq; dùm indè ulteriùs ad partes principes promoveatur.

Halitus peſtifer quomodo inde ad cor perveniat.

Sin autem perconteris demum, quânam viâ & quibus modis idem halitus tamdiu iſtic detentus, in penitiores corporis receſſûs & ad cor deducatur, ſicq; vim perniciosam exſerere incipiat? *Dicendum*, id fieri poſſe.

1. 1. Interventu nervi quinti paris, vulgò auditorii nuncupati. Is enim cùm in aurem internam terminetur, & expandatur, ſpiritûs animalis advehendi, ſonicq; in cerebrum revehendi gratiâ, iſtiusmodi auram facilè admittet, ac ſpiritui vitali, cui continuus eſt ſpiritus animalis, cordicq; adeò ipſi, offeret.

2. 2. Per ſurculos arteriarum à carotidibus, & venarum à jugularibus, aurem internam ſubeuntibus.

3. 3. Per meatum antea propoſitum, ex aure internâ in oris partem ſuperiorem, ſive palatum: Tunc præſertim quando à ſono aliquo vehementiore, qualis bombardarum eſt, aër inſitus verſûs oris amplitudinem violentiùs impellitur. Ei enim aſſociatum ſeminarium peſtilens ex oris cavitate, impetuoſâ thoracis pulmonisq; inſpiratione, qualem perterrefactiones ſubitaneæ excitare ſolent, derepentè ad cor aliquando abripietur.

CAPUT

CAPUT VIII.

QUOD IN NARIBUS.

NAres in sublimi corporis regione, non minùs quàm oculi aures q̃, repositæ, partem aliquam habent exteriorem ac prominentem, quæ nasus propriè videtur nuncupata esse; aliam interiorem magis q̃ reconditam. Earum seu structuram intimiùs quispiam perspexerit, seu usum perpenderit accuratiùs, aërem, ei q̃ immissum ac insidens pestiferum seminarium, iis non solùm attrahi, sed etiam detineri interdum, indiciis non obscuris comperturus est. Quod ad partem exteriorem attinet, ejus ratione, siquidem naturaliter constitutæ fuerint nares, primo saltem intuitu, & rudiore sensus judicio, non tàm ad detinendum diutiùs aliquam materiem, quàm ad immittendam aut emittendam, videbuntur esse comparatæ: quippe cum duobus amplis hient meatibus, & iis quidem satis densis & solidis, cartilagineis nempe osseis q̃; insuper inspiratione exspiratione q̃ continuâ ab iis, quæ superficietenùs fortè adhæserint, expurgari queant. Verùm si attentè consideremus, quæ vel profundiùs huic narium sedi innata reperiuntur, vel etiam non unam ob caussam eidem obvenire solent; istic quo q̃ stabulari aliquando posse seminarium pestilens, à ratione aut experientiâ minimè videbitur alienum.

In parte externâ.

Dubitatio.

Solutio.

Ante omnia enim partem hanc dissectione factâ introspicientibus, ossa quædam sese offerent, à radice narium in utrum q̃ earum tubum propendula, adeò ut utrin q̃ narium, parte superiore, oppleant cavitatem, aliquibus turbinata dicta, aliis spõgiosa, aliquibus colatoria; aspera quidem illa & scabrosa suâ naturâ, sed visciditate quadam à membranis investientibus imbuta, fragilia item ac

In ossibus spongiosis.

ſpongiæ aut pumicis inſtar poroſa & foraminulis cavernulisq; innumeris, obliquis, tortuoſis, pertuſa. Eorum uſum ſtatuunt eſſe 1. aërem ambientem cerebro offerendum inhibere, ne impetuoſè nimis in ipſum irruat. *Nam ſicut in fluminibus velociter fluentibus obſtacula quædam ponuntur, quæ, ne aggeribus periculum ſit, impetum ipſius interrumpant, ità etiam hic in naſo fit*, inquit Excell. Jul. Caſerius Placentinus. 2. morâ iſtâ injectâ beneficio innati caloris temperare frigiditatem ejusdem. 3. Viſciditate membranarum, à fumo, animalculis, pulveribus & inquinamentis variis, eundem liberare. 4. Sordes à ſuperioribus partibus acceptas foràs protrudere. Quibus 5^o loco ſubjungebat olim Excell. præceptor Patav. Fabricius ab Aquapendente; In iisdem oſſibus pituitam à cerebro delapſam aliquandiu recondi, ne aſſiduè & ſtillatim per nares deſcendat, quod valdè moleſtum ac indecorum eſſet, ſed aliquâ copiâ & commodis intervallis inde emungatur, aut expreſſione ſpiritûs excutiatur.

Quæ omnia, ſi naturæ intentioni & operibus conſentiunt, utiq; rationi aut experientiæ minimè adverſabitur, iisdem poris cavernulisq; obliquis ac tortuoſis, ut & ſordibus, excrementis pituitoſis, ac membranularum viſciditate, peſtilens quoq; ſeminarium, velut intricatum, aliquando detineri. Inſuper teſtatur experientia, narium cavitatibus interdùm impingi mucum craſſum, lentum & viſcidum, inibiq; ſic incraſſari ac indurari, ut evelli extrudiq; nequeat citra difficultatem. Ità enim apud Amatum Luſitanum centur. 6. curat. 17. Franciſcus Nummularius Raguſinus per nares cruſtaceas quasdam turundas, ac concretos quosdam mucos emittere ſolebat, non ſine capitis tamen dolore. Et celeberrimo Fel. Platero compertum habetur in praxi Med. cap. de olfact. læſion. profundam narium amplitudinem, quæ proxima eſt calvariæ, oſſi cribroſo, & fungoſis narium oſſibus, interdum ob-

In muco craſſiore.

dum obstrui pituitâ crassâ illûc è cerebro exstillante, diutiùsq; retentâ, & mucosâ summèq; viscidâ redditâ, ut inde olfactus impediatur: Idemq; à gypseâ materiâ & tophaceâ, vel calculo in istis angustiis genito, aliquando accidisse, sicut hæc eadem tandem rejecta patefecerunt. Sed quid dicemus de abscessibus intra nares, qui interdum fiunt, Fernelio teste lib. 5. cap. 7. patholog. nullâ febre, minimo dolore, è quibus ruptis pus sincerum affatim profluit, perindè atq; à purulentis auribus, idq; nullo valetudinis incommodo. Quid de ozenâ, *id est*, ulcere narium, plures crustas & odorem fœdum habente, ut Celsus definit lib. 6. cap. 8: aut, ut Paulo Æginetæ placuit, ulcere putrido exhumorum acrium illuvie excitato? Quid de polypo, *hoc est*, carne ut plurimùm molli, laxâ, albâ & indolente, non uniformi, sed è multis velut carunculis simul junctis, aut alterâ ab alterâ dependente, conflatâ, superiùs nasi cartilaginibus aut ossibus, plurium radicum, velut pedum polypodis piscis, interventu, affixâ, inferiùs in narium cavitatem propendente, ità ut respiratio per eas ex toto interdum impediatur. Singula enim hæc etsi præter naturam eveniant, haut tamen afficiunt totum corpus, ut notabiliter impediatur homo in functionibus sibi consuetis peragendis, adeòq; manifestè ægrotare censeatur. Interim halitum pestiferũ naribus illapsum, & excremento prædicto pituitoso alteriusve generis, & materiei purulentæ, sanioſæ, crustaceæ, putridæ, fœtidæve, & carnibus istis laxis, quasi glandulosis; pertinaciter inhærescere aliquando, nec illicò ad penetralia corporis inde avolare, non minùs verisimile est, quàm eundem in aliis corporis partibus sic detineri, ut in superioribus comprobatum est: præsertim cum aliquibus prædictorum affectuum nares obstruantur quasi ex toto, obq; id inspirationis per eas & exspirationis impetus, expurgandis iis, quæ fortè inhæserint perquàm

In abscessibus.

In ozenâ.

In polypo.

opportunus, ad oris cavitatem transferatur; aliquibus verò, ob putredinem sordidam fœtidamq;, pestilens contagium admodùm videatur esse cognatum ac familiare.

In parte interiore. Quòd si porrò interiorem magisq; abstrusam narium regionem introspiciamus, ejus pars quædam osseа est, quædam membranosa, quædam denicq; nervosa.

Osseà. Ossei generis est cavitas quædam insignis, ossi frontis, duabus ejus à se invicem disjunctis tabulis, insculpta, utplurimùm ab internâ tabulâ assurgente processu osseo in duos dirempta sinûs, geminoque in nares foramine pervia, viridi interiùs succincta membranulâ, materiam continens medullosam, ac velut oleosam, Platero & Archangelo Picolhomino, aliquando mucosam Colûbo, viscidam, substantiæ cerebri, externa si respicias, non multùm absimilem, Pavvio. Estq; ea ipsa cavitas, quæ istic fractâ in vulneratis tabulâ externâ deregitur, vulnere nullatenùs solidescente, adeò ut ejuscemodi vulneratis ulcus insanabile linteo aut emplastro obductum conservari debeat: Cujus rei exemplum hic Dantisci ante annos 20 circiter in quodam non infimæ sortis cive, cui privignus mentis impos, inter duo supercilia supra nasi radicem tale vulnus palâ ligneâ inflixerat, aliquot annorum decursu sese conspiciendum obtulit. Ejusdem generis est os ad radicem nasi interiùs repositun, Græcis ἠθμοειδὲς, Latinis *cribriforme* dictum, pluribus exiguis pertusum foraminulis, processu acuto cristæ gallinaceæ in modum ab eodem osse exsurgente bipartitum, unde & os cristatum aliquibus nuncupatur. De eo pulchrè discurrentem agè audiamus præcellentissimum olim Batavorum Anatomicum Petrum Pavvium, in primitiis anatomicis de ossibus part. 1. cap. 9. (p. 71.) *Admiranda*, inquit, *in hujus exigui ossiculi summa Dei sapientia; cum enim duos ei imposuisset, eosq; singulares, usus, ut nempè tàm aëri, qàum muco præberet transitum, ità illud effinxit, neutrum uti ἀθρόως aut magno im-*

gno impetu fieri posſit. Si namq; aeri violenter pateret transitus, neq; satis præparatus, verùm crudus, nec rarè alienâ imbutus qualitate irrueret, offenderetq; non parùm nobilem illam animalitatis officinam, cunctatrix natura plures ei injicit remoras, ſicut in cavitate osſis frontis antè expoſitum. Superflua cerebri per eadem hæc osſiculi hujus foraminula expellenda, niſi & illa eorum exilitate ac anguſtiâ impedirentur, non rarò tanto ruerent in nares, perq; deſcendentia earum foramina in oris capacitatem, impetu, ſuffocationis uti periculum crearent, repleta nempè laryngis rimâ. H. Pavv.

Jam igitur ſeminarium peſtilens, ſive cavitati inſigni osſis frontis, eâdemq; contentæ materiei oleoſæ, mucoſæ viſcidæ, immerſum fuerit, ſive osſis frontis foraminulis, humore pituitoſo, craſſo, lento, ac viſcido oppletis, obſtructisq; (cujus rei indicium eſt, quòd odorandi ſenſus ſæpè imminuitur, aliquando etiam aboletur) detentum, ibidem deliteſcere poſſe irrito conatu viribusq; multùm refractis, nemo ſanæ mentis, opinor, inficias ibit.

Parte membranea.

Hisce narium interiorum partibus ſuccedit membrana, tùm cavitatem osſis frontis ſuccingens, naturæ cujusdam peculiaris; tum osſi cribriformi ſupernè obducta, craſſæ meningis ſoboles, tot pertuſa foraminulis, quot obtinuit os cribriforme. Earum prior cum oblinatur humore oleoſo, aut mucoſo, lento viſcidoq;, non minùs quàm membranulæ osſium ſpongioſorum in internâ narium parte, de quibus antè dictum eſt, inquinamenta aëris varia inviſcabit & remorabitur, aëre puriore ad cerebrum emiſſo. Altera ſeu poſterior, ſi quando nimiâ copiâ humoris à cerebro deſtillantis turgeſcit, præſertim à frigiditate concreti, aut caloris cujusdã vi incraſſati, denſatiq;, virus peſtilens per foraminula osſis cribriformis ei inflictum, ſimili ratione, ſi non pari itidem facilitate, remorabitur, & velut iners, torpidumq; aliquandiu con-

tinebit. Idq; multò magis hâc de caussâ, quod crassa meninx eo in loco fungatur munere cujusdam integumenti, cujus meminit Aristoteles 2. de animâ cap. 9. text. 100. & in lib. de sens. & sensib. cap. 6. text. 77. ubi olfactus organo statuit adpositum esse quoddam velut ἐπικάλυμμα, *id est operculum*, & πῶμά τι, *hoc est velamentum*, quod respirantibus discooperitur, dùm venæ & meatûs dilatantur, ut ibidem habet Philosophus. Nam omninò hancce crassæ meningis portionem meatibus olfactoriis & ossi cribriformi interjectam perforatam'q; significavit Aristoteles, ut adversùs assertionis hujus Aristotelicæ zoilos in prælectionibus anatomicis fusè comprobavi. Istud igitur velamentum, sicut iis qui spiritum cohibent occlusum est, ità naturaliter moderatèq; inspirantibus & exspirantibus, medio quodam modo aperitur, non autem ità expanditur, ut in iis qui fortiùs inspirando objectis odoriferis pleniore oblectamento percipiendis incumbunt: adeòq; seminarium pestilens moderatâ aut leniore inspiratione naribus adductum, nisi validior accesserit & voluntatis arbitrio intensa respiratio, haut difficulter inibi detinebitur & cohibebitur. Insuper quia hac etiàm parte terminatur tertius sinus crassæ meningis, per capitis verticem sub futurâ sagittali ad eam frontis extremitatem protensus, adeò ut à venis in hoc sinu dehiscentibus sanguinis profluvium ad 24. libras usque per nares excitari contigerit, referente Archang. Picolhomino in prælectionibus anatomicis p. 246: Quid prohibebit hic quoq; admissum seminarium pestilens in vicino crassæ meningis sinu reponi ac detineri, donec viribus recollectis & adauctis, interiora corporis subeat, & spiritum vitalem ipsum'q; cor demoliri incipiat?

Parte nervea. Quo ad nervosam denique narium interiorum partem

tem; ejus nomine veniunt cerebri duæ propagines, quæ vulgò processus mammillares & meatûs olfactorii nuncupantur; *Mammillares* quidem à figura, non tàm in homine, quàm in brutis animalibus, ut canibus, ovibus, leporibus, felibus, &c. similes scilicet papillis mammillarum in fœminis, velut egregiè eos delineavit excell. Julius Casserius Placentinus; *Olfactorii* autem ab usu, quod scilicet primaria videantur esse pars olfactûs peragendi. Sunt verò reverâ nihil aliud, (si Galenum sequamur 8. de usu part. 11.) quàm apophyses sive progenies cerebri, & quidem duorum ejus ventriculorum anteriorum, ut asseruit sub finem capitis 7. præcedentis, hosce meatûs appellans τὰ πέρατα τῶν προσθίων κοιλιῶν, *extremitates anteriorum ventriculorum*. Iidem si non manifestis ad sensum, præsertim in cadaveribus, saltem tenuibus quibusdam præditi sunt meatibus, spiritu vaporoso refertis, qui cùm in corporibus vitâ & calore exutis concrescat in humorem, talem eorum consistentiam anatomicis exhibet, qualem describit Julius Casserius Placent. sect. 1. lib. de nasi fabricâ cap. 19. *Processuum*, inquiens, *substantia mollis & vaporosa est, ità ut nisi à piâ matre custodiretur, diffluxura videretur.* Et his igitur meatibus temperiei frigidæ & humidæ, consistentiæque mollis, raræ, porosæ, admissus aliquando halitus pestifer, per anteriorum viarum angustias & anfractûs, quos jam superavit, viribus exsolutis & refractis, facilè detinebitur, præsertim si vel naturâ ii extiterint angustiores, ut sunt naturaliter in hominibus, & quidem secundùm varios angustiæ istius gradus; vel muco pituitoso repleantur, quod iisdem accidit frequentissimè.

CAPUT

CAPUT IX.

QUOD IN ORE.

EXpeditissima ac regia prorsus via est per oris cavitatem, tùm ærís quomodocunq; affecti aut infecti, in corporis penetralia continuò deducendi, tùm excrementi fuliginosi hinc reducendi: libera nempe ab angustiis & anfractibus, quibus prænominata in capite sensoria donantur. Quin & eadem oris capacitas alimenti ad vitam necessarii, tam liquidi quàm solidioris, frequenter, prout usus exigit, ingerendi, crassiq; excrementi è capite, thorace & ventriculo assiduè regerendi, quoddam velut excipulum est.

Quâ de caussâ locus iste seminario pestilenti diutiùs asservando, ne hac vel illac elabatur, minimè videbitur accommodatus. Si tamen rimemur diligentiùs; nec in eo ipso aut circa eum fortassis deërunt latebræ seminario pestifero; seu partes ejus exteriores respiciamus, quæ *continentes* vulgò nuncupantur, seu interiores & contentas.

In partibus externis. Eas itaq; strictim nunc percurrentibus primò sese offerunt pili: qui dùm multiplici serie, ad genas, labia & mentum, fruticantur, suâq; copiâ velut nemús quoddam densum & umbrosum efformant, halitum pestiferum facilè intra se recondent, & pertinaciter sæpe morabuntur, præsertim si impexi conserventur; donec tandem vel in auras dissipentur, vel etiam oris nariumq; inspiratione introrsum abripiantur.

Pilis succedit epidermis sive cuticula unà cùm cùte, in genis faciesq; quasi universâ ita tenuis, ut à carnibus subjectis vix separari queat, facilem sic præbitura commeatum halitibus pestiferis in carnem glandulosam, ra-

ram

ram, & spongiosam, quâ oris cavitas principaliter continetur. Tali autem substantiâ promptè admodum imbibi ac recondi halitum pestiferum, sufficienter innotuit è discursibus præhabitis. Carnibus subsstrata reperiuntur ossa maxillæ, tàm superioris, quàm inferioris. Superioris maxillæ ossium quartum par Excello Bauhino, cui dentes superiores omnes infixi sunt, foramen habet in principium palati juxta dentium incisoriorum partem posteriorem; sextum itidem par in finem palati duobus amplis hiat foraminibus, totidemq; os geminum maxillæ inferioris retrorsum in oris cavitatem inferiorem. His accedunt alveoli dentium in utrâq; maxillâ, haut rarò, in iis scil: quibus dentes exciderunt, aperti, immò etiam ipsorummet dentium cavitas intra radices itidem patula in oris cavitatem, si quando superficies ipsorum fuerit exesa, & in osseæ substantiæ profunditatem pertusa. Quibus sanè foraminibus, membranâ licet & carne obductis, aut vasis quibusdam aditum concedentibus, sicut sese ingerere potest aura pestilens, ob naturam penetrantem, ita etiam ibidem recondetur aliquantisper, ac delitescet, viribus aliquâ ex parte refractis.

Hinc mox ad oris interiora conversis, antrorsùm & inferiùs occurrunt gingivæ, dentium alveolis & radicibus tanquam parti fragiliori, instar cujusdam valli, circumjectæ, non modò ad continendos eos ac firmandos, ne vacillent aut elabantur, ut vulgò statuunt, sed etiam ad muniendam cavitatem eorum, ubi nervi, venæ, & arteriæ reponuntur, ne frigore aut calore externo facilè afficiantur. Iisdem verò aut corrosis ab humore acri, aut relaxatis ab excremento pituitoso serosóve, præterquàm quòd dentium alveolos, immò & radices eorundem in ipsis alveolis, denudari, sicq; pestilenti contagio suscipiendo habiles reddi continget, gingivæ etiam ipsæ, ob laxitatem, talem halitum facilè imbibent ac pertinaciter de- In parte interiore.

tinebunt. Superiùs in ore supereminet palatum, ex osse & carne glandulosâ, posteriùs crassiore quàm anteriùs, efformatum, tunicâque omnibus oris partibus communi succinctum, alicubi rugosum & asperum, parte denique posteriore duo insculptà sibi habens foramina, versùs basin cerebri & narium radices protensa, quibus cerebrum ab excrementis in cavitatem oris expurgatur, cui ob talem constitutionem virus quoque pestilens facilè inhæresceet. Ab ejusdem parte penitiore & glandulosâ supra laryngis rimam è directo in oris amplitudinem propendet corpus quoddam glandulosum, spongiosum & rubrum, *gargareon* Græcis dictum, *uvula & columella* Latinis, excrementum cerebri humidius itidem excipiens ac inhibens. Medium oris occupat lingua, carne constans certi generis molli, laxâ & spongiosâ, de sententiâ Anatomicorum celebriorum, adjunctis ei glandulis compluribus adipe illitis, humore aqueo insipido naturaliter imbuta, tùm ad sapores humiditate istâ è rebus sapidis eliciendos, tùm ad faciliorem mastication em ac deglutitionem, quæ absque tali humiditate ægriùs perficiuntur.

Ad linguæ radicem sunt fauces, posterior scilicet & inferior oris cavitas, quæ ore aperto & linguâ depressâ conspicitur, triplici glandularum genere conspicua: quarum primi generis quæ sunt, partim sub aurium radice reponuntur, insignes & crassæ, aliquibus parotides dictæ; partim sub maxillâ inferiore, toto spatio à maxillâ circumscripto: Secundi generis sunt tonsillæ, sive amygdalæ, utrimque una, oblonga & satis insignis, substantiâ quidem glandulis simili, sed rariore magisque *spongiosâ*, & admodùm fungosâ, unde & spongiæ nuncupantur Hippocrati 4. epidem. sect. 3. salivali humore naturaliter perfusæ; Tertii generis ad laryngis humiliorem sedem, asperæ arteriæ lateribus adnatæ, utrinque una, satis

satis magnæ & valdè fungosæ, cæteris crassiores & spissiores, humiditate viscosa pinguique refertæ. Ab his igitur oris quoque partibus internis, tùm ob naturam earum glandulosam, spongiosam, fungosam, *hoc est*, mollem, laxam, & raram, tùm ob copiam humorum, quibus perpetuò reperiuntur irrigatæ, promptè admodùm imbibi contagium pestilens, temporisque aliquo spatio, citra noxam cordi aliisve partibus nobilioribus illatam, aliquando detineri, à nemine amplius in dubium revocari poterit.

Adversùs autem hæc omnia si quis institerit, objiciendo transitum continuum aëris, fuliginum, alimentorum, excrementorum, per hancce oris amplitudinem, non sine aliquo impetu aut saltem continuâ quasi cum absersione eorum, quæ hisce partibus ore contentis insederunt: quam ob causam nec halitus pestilens istic contineri queat: Respondebimus; eam esse naturam & conditionem pestilentis contagii, ut præpete suâ penetrandi vi, ac inhærendi pervicaciâ cujuscunque generis halitum, nedum humorem, facilè superet, attestante, proh dolor, experientiâ. Atqui, exempli gratiâ, halitus aut humor biliosus linguæ, palati, aliarumve oris partium substantiam ita pervadere ac obsidere valet, in iis qui febri, præsertim acutâ, conflictantur, ut & in ictericis, pituitâ item salsâ & melancholiâ adustâ in aliis morbis, ut istiusmodi qualitate os imbutum genuinos alimentorum sapores minimè percipere aut dijudicare possit, quin immò tales esse dijudicet, quales sunt, qui linguam imbuunt, juxta istud pertritum in Philosophorum scholis ex Aristotele, intùs existens prohibet ingressum extranei; nihil quicquam conferentibus sæpè adversùs istud oris vitium collutionibus, gargarismis & similibus, refrigerantibus, humectantibus, abstergentibus. Idem testatur experientia de odore moschi, zibethi,

Obj.

Resp.

camphoræ, allii, asæ fœtidæ & similium, ita pertinaciter sæpè quibusdam rebus inhæresçente, ut ne diligentiore quidem lotura, nedum ventilatione eliminari possit. Multò igitur magis profundiùsve halitus pestilens hasce oris partes pervadet, & secundùm omnes vel minimos poros obsidebit, adeoq; à rebus per oris superficiem interiorem valdè lubricam ultrò citróq; commeantibus non ita facilè semper excutietur.

CAPUT X.

QUOD INTRA PARTES *aliquas privatim in fœminis.*

SExum fœmininum non modò faciliùs admittere contagium pestilens, quàm masculum, sed etiam detinere ac fovere diutiùs citra noxam evidentem, é capite quarto primæ disquisitionis satis superq; innotuit. Quin & fœminas non minùs quàm mares intra partes prænominatas omnes idemmet recondere, nemo est qui dubitet, aut negare ausit. Interim tamen quod privatim seu peculiariter in fœminis, sicut suscipitur, ita etiam conservetur aliquando istius generis contagium, viribus ad aliquod tempus cohibitis, merito partium sexui huic propriarum, ut & singularis cujusdam dispositionis partium ei communium cum maribus, rationi & experientiæ consentaneum est.

Præ cæteris enim id edocebit uterus, pars fœminarum propria, & quidem maximè dissimilaris, prout à recentioribus Anatomicis describitur; quo ad partem extimam

extimam Galeno ἀιδοῖον γυναικεῖον nuncupatam: partem paullò interiorem, quæ *collum & cervix uteri* vulgò dicitur, quibusdam *sinus pudoris*: Os uteri interius, aliis verum uteri collum: & fundum, *id est*, corpus ejus genuinum.

In parte extimâ.

De parte extimâ, quæ sagacissimo Scaligero tacita potiùs videbatur appellanda, quàm pudenda, tacere nunc præstabit, quàm pudendū aliquod proferre; quanquam si liberè loquendum esset cum Stoicis, quod M. Tullio etiam arrisit lib. 9. epist. famil. 22. non levia fortassis ad comprobandum nostrum institutum inde eruerentur argumenta. Quamobrem quòd ad meatum, parti extimæ citra ἐγχείρησιν conspicuæ, & vero uteri orificio, interjectum, qui *collum seu cervix uteri* vulgò nuncupatur, aliquibus collum seu cervix pudendi; etsi ejus constitutio sit membranosa & nervosa, simul tamen fungosa nonnihil est & spongiformis. Quin & eadem pars in se ipsam naturaliter collapsa ad laterum conniventiam, & quasi conglutinata interventu vasorum istic concurrentium, rugosa est ac inæqualis, in quâ dispositione é veteribus Soranus, & cum eo Oribasius Iuliani Imperatoris Archiater lib. 24. collect. med. cap. 32. proprium virginitatis signum reposuêre: quos sequuti inter recentiores Johan. Guintherius Andernacus, lib. 1. instit. anatom. Ludovicus Vasæus in tab. anat. tab. 1. Joh. Fernelius lib. 1. medic. cap. 7. Franc. Vallesius in Philosophiâ sacra cap. 25. Horat. Augenius tomo 2. epistol. med. 1. cap. 5. Rod. à Castro lib. 1. de natur. mul. cap. 5. & complures alii. Insuper juxta observationes aliorum, in hoc meatu reperitur membranula quædam virginitatis indicium, aut in omnibus venerem nondum expertis, aut in aliquibus saltem; Constitutionis aut carneæ, aut nerveæ, plerorumq; judicio transversè collocata, seu in primo

In collo seu cervice uteri.

ejus aditu prope partem extimam, seu in extremitate, uteri interno orificio propinquâ, seu in medio; & quidem vel infernæ duntaxat seu posteriori ejus sedi adnata; à superiore autem tanto intervallo distans, ut foramen inibi relinquatur menstruo sanguini aliisq; humoribus ex utero evacuandis; vel totam hanc cavitatem situ transverso interseipiens; perforata tamen, seu multis foraminulis instar cribri, seu unico duntaxat foramine instar alicujus rimæ. Juxta alios non una duntaxat, sed quatuor membranulæ virginitatem denotant, nec situ transverso, sed secundùm longitudinem hujus meatûs, quatuor carunculis innixa. Tot enim (forrasis etiam plures) de virginitatis charactere cùm apud Autores reperiantur sententiarum varietates; quomodocunq; se res habeat, omninò verisimile est, in virginibus, & aliis à congressu cyprico abstinentibus, his ipsis angustiis talibusq; obstaculis exceptum seminarium pestilens aliquando detineri diutiùs, & latitare, citra noxam evidentem interioribus partibus communicatam; In iis præsertim, quibus aut nunquàm sese exeruit, aut saltem suppressa est ab utero per hanc partem expurgatio. Serosum enim excrementum seu materia urinalis, ut notum est anatomicis, hunc meatum haurquaquàm pervadit, sed primo ejus aditu, parte superiore, in quam terminatur vesicæ cervix, educitur. Sed quid dicemus de nymphis duabus & clitoride ex eodem hoc meatu antrorsùm prominentibus? Illarum constitutio non solùm carnea est, & membranea, sed etiam mollis, laxa, fungosa: Hæc autem foris quidem nervosa, dura & crassa, sed intus spongiosa & cavernosa, ut spiritu influente extendi eoq; dissipato flaccescere possit, immò etiam extremitate suâ, quæ caput dicitur, perforata.

Quid de iis, quæ paullò interiùs sese offerunt? tùm prostatis, partibus scilicet glandulosis, quamvis non

ita

ita conspicuis ut in viris, excremento seminali susciplendo, & expurgando, dicatis; tùm extremitatibus vasorum, quæ *deferentia* nuncupantur, ad prostatas terminatis, angustis quidem illis & minùs apertis suâ naturâ, satis tamen laxis & patentibus, tùm in virginibus & mulieribus fluore albo laborantibus, tùm etiàm in prægnantibus, quibus cùm excrementum seminale in congressu per uterum, arctissimè tunc occlusum, expurgari nequeat, per eas expurgatur frequentissimè, immò & in non gravidis, aliquorum judicio, ordinariè excernitur. Quâ de re Excell. D. Casp. Bauhinum, Germaniæ nostræ Phœbum, sermocinantem audire præstabit lib. 1. Theat. anatom. cap. 36. quàm prolixiùs lectorem hic detinere.

Quid demum de venis & arteriis à venæ cavæ, & arteriæ aortæ ramo hypogastrico utrinq; oriundis, & in cervicem uteri vulgò dictam, extra os uteri verum, insertis, quarum usum statuunt esse, corporis universi tùm plethoram tùm cacochymiam in sexu fœminino statis quibusdam intervallis evacuare, ordinariè quidem in juvenculis & non gravidis, aliquando tamen etiam in gravidis, si quando sanguinis abundantia molestiam aut periculum creat. Annon hisce partibus viisq; universis ac singulis suscipi & introrsùm aliquò usq; deduci poterit seminarium pestilens, inibiq;, ob rationes satis superq; in superioribus propositas & enucleatas, delitescere?

Circa os uteri interius.

Quod ad os uteri interius attinet, quia id ipsum in fœminis aperitur frequenter, menstruis fluentibus, immò & in non paucis ob fluorem album aliasq; causas relaxatur & perpetuò apertum conservatur, nemo facile negabit, etiam hac viâ pestis aliquod seminarium in uteri fundum deduci, ibidemq; latibulum aliquando reperire. Cum primis autem istud periculi impendebit puerperis, quibus non modò orificium hoc uteri, sed etiam cavitates mea-

tes meatûsq; omnes, tùm interiores, tùm exteriores recenter fuêre relaxati, apertiq; ; nec dum ad pristinam conniventiam reducti.

In fundo uteri.

Deniq; ipsum uteri fundum, ceu partem principalem, introspicientibus, cavitas occurret satis angusta, fabæ vulgaris vix capax Excell. Bauhino (in iis præsertim quæ nunquâm peperêre) incq; duos velut sinûs divisa, tùm poris multis, cotyledonum scilicet orificiis, donata, tùm in non prægnantibus viscido subalbidoq; muco illita, præterea secundûm partem superiorem utrinq; eminentem nonnihil, instar protuberantiarum in capitibus vitulorum antequàm cornua eruperint, aliquo modo angulosa, & ob vasorum deferentium insertionem inæqualior, tenerior, crassiorq;. Ne dicam de vasis præparantibus in elatiorem uteri sedem inseritis, & parastatis testibusq;, substantiæ glandulosæ, mollioris & laxioris quàm in viris, utero itidem accumbentibus. Istiusmodi certè partibus ac partium dispositionibus, ad excipiendum halitum pestiferum & aliquandiu sine evidente noxâ continendum, vix quidpiam invenietur accommodatius. Cæterùm utero tanquam parti fœminarum propriæ accumbunt partes aliæ, communes iis cum maribus, vesica urinaria, & intestinum rectum: Illa quidem antrorsùm, orificioq; non in alium quendam meatum angustiorem & longiorem, ut in maribus, dehiscente, sed in aditum satis amplum sinûs muliebris ante hac perlustrati: Hoc autem retrorsùm amplo itidem foramine ad corporis superficiem exporrectum. Utraq; ergò pars in fœminis cum ferè nuda aëri, intra cycladas subuculasq; subintranti, exponatur, halitibus pestiferis, tùm è terrâ, cui insistunt, suscipiendis, præsertim si è terrâ excitetur pestis, aut etiàm è tumulis ædium sacrarum quas frequentant, tùm aliquantisper detinendis, si non ampla suâ cavitate, saltem venulis, arteriolis, aliisq; meatibus, valdè

In partibus fœminæ communibus cum maribus.

valdè est obnoxia; inprimis autem vesica urinaria, utpote semper ferè occlusa, & humore seroso sensim in eam stillante nunquàm non perfusa, cui ob id virus istud facilè immergetur: Multoq; magis in eam deducetur idipsum, si cantharidum, quæ vesicam præ cæteris partibus maximè & principaliter impetunt, venenosam qualitatem pestis æmuletur.

Inter partes viris fœminisq; communes sunt etiam mammillæ, sed longè aliter constitutæ in his, quàm in illis, adeò ut notæ cujusdam gratiâ duntaxat viris videantur esse tributæ. Harum igitur, ut & papillarum iis appensarum, constitutio in fœminis est glandulosa, mollis, laxa, fungosa & porosa, glandulis constans multis, quarum plures minores ad basin amygdalis excorticatis non absimiles, una autem major ad apicem minoribus instrata, omnes invicem fibris membranosis & vasis, interjectâ simul pinguedine, connexæ. Earundem insignem laxitatem, & naturam fungosam porosamq; Aristoteles præclarè illustravit gemino experimento, 7. de histor. animal. 11. uno, quòd si mulier in poculo pilum fortè hauserit, pilus iste ad mammillas queat pertingere, ibiq; dolorem excitet, quod malum *pilare* dicitur, nec priùs sedetur dolor, quàm pilus iste aut pressus sponte exeat, aut sugendo extrahatur. (Idq; à veritate non alienum prorsus esse ante aliquot annos comprobatum à me fuit disputatione publicâ in Inclyto Gymnasio nostro habitâ quæst. 2. triadis problem. physiolog.) Altero, quòd dum maxima adest lactis redundantia, aliquibus lac effluat, non solum per papillas, sed etiam hinc inde per alias mammarum partes, aliquibus etiam per alas. Quod si ità est, nemini rursus mirum dubiumve esse potest, halitum quoq; pestiferum, tum per papillas, tum per cutem glandulosæ mammarum substantiæ superinductam, venas item arterias q; cutem perreptantes satis turgidas &

conſpicuas in mammas deduci, ibidemq; ob loci frigiditatem aliquando detineri ac infringi, ne ita confertim in cor irruat. Sed cùm ſubjungat Ariſtot. aliquibus etiàm per alas lac educi, loca nimirùm à mammis diſſita, idq; aliter fieri nequeat, quàm per venas & arterias axillares, quibus pars aliqua materiei lactis ordinariè mammis advehitur, alium ſuggerit modum, quo mammis exceptum virus peſtilens cordi partibusq; principibus interioribus ſubtractum detineri per non breve temporis ſpatium poſſit, nempe interventu venarum & arteriarum axillarium, quæ externa tantùm ſeu ſuperficiaria mammillarum vaſa ſunt, halitu peſtifero modò ad glandulas axillis ſubjectas, modò hinc rurſus ad mammillas commeante, vaſis interim dimiſſis interioribus.

In fœtu qui utero geſtatur.

Verùm enimverò in fœminis prægnantibus ipſe etiàm fœtus, qui utero geſtatur, earum velut pars quædam eſt, aut παραθήκη, *id eſt*, appendix: Unde & Galenus 1. aphor. 4. dicebat fœtum ità alligari matri, ſicut fructus arbori; idemq; ratio ſuadet, ſiquidem fœtus ſimili modo videtur ſe habere ad matrem, quo ſe habent non ſolùm fructûs ad arborem, ſed etiàm ova ad gallinam; Atqui hæc ſunt partes arboris & gallinæ, quàm diu ab iis geſtantur, nutriuntur quippe, augentur & formantur ab animâ arboris & gallinæ, ſicut partes ejus reliquæ, Ergò & fœtus humanus perinde ſe habebit ut pars matris, cujus utero etiamnùm adhæreſcit. Quid igitur fuerit mirum, ſi peſtilens aliquod ſeminarium à matre quomodocunq; ſuſceptum, aliquando in hanc ejus, ſi non partem neceſſariam, ſaltem appendicem traducatur? Idq; eò magis faciliùsve, quàm in alias corporis materni partes, quò meatûs viasq; omnes tunc verſùs uterum ampliores reddi contigit: quâ de cauſâ etiam gravidæ, cùm hac ſolâ parte craſeſcant, aliis membris ferè extenuantur. Inſuper natura hoc tempore maximè ſolicita eſt de fœtu nutri-

nutriendo, augendo, perficiendo; atq; adeò sicut aliàs semper facere solet, ità etiam nunc fœtui tanquàm indigenti in subsidium mittit humores ac spiritûs, quib9 permisceri facilè possunt halitûs pestiferi. Accedit q̃d uterus tempore prægnationis caleat magis, quàm aliæ partes: Atqui sanguis & spiritus, iisq; fortè inhærescens halit9 pestifer, ob similitudinem majore impetu commoveri solet ad partes calore abundantes, quàm eodem destitutas. Quamobrem versûs fœtum quod deducitur seminarium pestilens 1. detineri velut in itinere ac latitare poterit, intra ipsam uteri substantiam, longè tunc crassiorem, juxtà observationes recentiorum Anatomicorum, Arantii, Varolii, Plateri, Bauhini, Laurentii Rousseti, nimirum ob sanguinis copiosum affluxum, per venas plurimas in eam sparsim disseminatas, non membranosam ampliùs, sed carnosam, spongiosam, fungosamq;, seu fungorum instar in multos quasi cortices divisibilem. 2. In substantiâ illâ carneâ, tempore prægnationis, uteri internæ superficiei sursum ad fundum præcipuè appositâ, in gratiam conjunctionis vasorum fœtus cum vasis uteri, quæ Fallopio *placenta*, J. Cæs. Arantio *jecur uterinum* appellatur, molli, laxâ, rarâ, pollicisq; crassitie, magnitudine tantâ, ubi perfecta est, quantum possis utroq; pollice & indice circulum efficere. Talibus enim in locis ubi præsertim extremitates vasorum, & quidem minutissimæ, concurrunt, è corpore tàm matris quàm fœtûs, non modò retardari facili negotio poterit aliquantisper seminarium pestilens, sed etiàm citra noxam evidentem, ceu procul à corde utriuslibet, latitare. Et longè quidem faciliùs securiùsq;, si, ut Arantius arbitratur in lib. de fœtu hum. cap. 6. vasa uteri non conjunguntur per anastomosin cum venis umbilicalibus fœtûs, sed illa quidem in jecur uterinum profundunt sanguinem spiritumq;, hæ autem non è vasis uteri immediatè, sed è jecore uterino instar radicum

dicum quarundam utriusq; generis materiam, delectu quodam habito inter utile ac inutile, purius ac impurius ad se trahunt, adeoq; istâ parte quæ minùs utilis est, nutriatur substantia illa carnea, utilius verò puriusq; in alimentum fœtus transsumatur. Id autem nisi arriserit, iis præsertim qui vasa uteri orificiiis jungi statuunt cum vasis umbilicalibus in eâdem subst antiâ carneâ; en sanguinis spiritûsq; illuc confluentis tantam copiam, ut longè excedat ea mensuram fœtui nutriendo & augmentando convenientem, velut ingeniosè colligebat Excellent. Fabricius ab Aquapend. lib. de formato fœtu, part. 2. cap° 2. è vasis umbilicalibus in extimum fœtus involucrum membraneum, & concavam substantiæ hujus carneæ sedem insertis. *Ea enim tanquam radices multipliciter istîc divisa*, inquit, *etsi semper minora truncis sunt, attamen simul sumpta sunt quindecuplo & ampliùs truncis majora, per quos nempè sanguis & spiritus in fœtum devehendus est. Cum verò in fœtum ingredi non possit* (pergit Fabric.) *nisi quantitas illa sanguinis, quam unus tantummodò truncus capere potest, quid igitur præstabunt tot radices, seu vasa per chorion* (extimum involucrum) *dispersa, quæ longè abundantiorem sanguinem alliciunt, quàm per unicam venam possit in fœtum intrare? procul dubio dicere aliter non licet, nisi ut abundantior sanguis in vasorum propagines attrahatur, deferatur, ac detineatur.* H. ille. At quorsùm, *inquiet aliquis*, tanta redundantia, fœtui omninò superflua, cùm non possit in fœtum tota deferri per truncos tali copiæ devehendæ haut proportionatos? Respondet Fabric. rationes hujus rei adferendo speciosas, inter quas duæ faciunt ad nostrum propositum 1. *Quod conferat illa copia, ne unquàm fœtus laboret penuriâ alimenti.* 2. *Juvet, ut ex tantâ sanguinis copiâ, quasi in stagno, in pluribus vasorum canalibus collecta, fœtus puriorem sanguinem alliciat, pro suiipsius nutritione.* In hac igitur copia alimenti, nutritionis & auctionis necessitatem excedente, dubio procul etiam cru dio-

erudioris & inutilis, utpote à nutritione corporis materni pro derelicto habiti, quid impediet aliquando velut demersum halitum pestilentem, qui à matre admissus est, detineri, antequam eidemmet matri aut fœtui noxam sensibilem inferat?

3. Remoram quoq; facient pestilenti contagio involucra fœtus membranea, seu potius cavitates ab iis efformatæ, chorium scilicet & amnium, tùm aëre & halitibus variis, tùm humore aqueo, quo ad partem non exiguam, referta; illud quidem excremento seroso è vesicâ urinariâ fœtus per Urachum, hoc autem sudore per universum corporis habitum admisso, consentientibus plerorumq; Anatomicorum suffragiis. Sive igitur è vasis contigerit seminarium pestilens profundi in istas cavitates, sive intra vasa umbilicalia alimento fœtus permixtum involucra illa transierit, etiam illic aut materiei tali immersum hærebit sæpè antequàm ulteriùs promoveatur, aut saltem viribus refractis advehetur fœtui, hacq; de caussâ malitiam suam tardiùs exseret.

4. Quin & ipsa vasa umbilicalia transitûs celeritatem, simulq; vim pernicioſam inhibent, ratione tùm longitudinis suæ, tùm convolutionis, tùm contorsionis, tùm nodorum, qui in iis deprehenduntur. Quod enim ad longitudinem; vasa hæc, inter corpus fœtus è quo progrediuntur, & chorium cui inseruntur, concursu suo funem quendam umbilicalem efformantia, communem brachii mensuram plerumq; superant Arantio, ulnarum aliquot longitudinem assequuntur Excell. Bauhino. Quoad convolutionem; notant Arch. Picolhominus, & Ambros. Paræus, fœtum ternis aut etiam quaternis involutionibus umbilici succinctum, quo ad cervicem, corpus medium, humeros, & crura, occurrere: Interdum tamen, ut notavit Arantius, non circa corpus fœtus, sed juxta radicem umbilici prope medium abdominis in orbes, in-

testinorum instar, eadem facta esse observatur involutio. Contorsionis ratione idem umbilicus similis prorsùs apparet funi intorto Franciscanorum, *ut loquitur Paræus*, eò quòd vasa umbilicalia, venæ tamen potiùs quàm arteriæ, non occurrant directa secundùm longitudinem, sed obliqua, & modò in hanc, modò in alteram partem contorta. Nodi item venis præcipuè insunt, quæ ob id varicosæ occurrunt & anfractuosæ, instar vasorum spermaticorum. Horum igitur omnium beneficio sicut præcavetur, plerorumq; judicio, ne fœtus redundantiâ sanguinis confertim obruatur, ità etiàm impetus halituum pestiferorum versùs fœtum non parùm retardabitur.

5. Idem fortassis præstabit urachus, venis & arteriis umbilicalibus interjectus, secundùm totam umbilici longitudinem. Is enim cum excrementum devehat aquosum, frigidius & humidius, suo utiq; contactu sanguinem & spiritum venis arteriisq; contentum aliquomodo refrigerabit & incrassabit, atq; adeò seminarii pestilentis, si quod iisdem contineatur, acrimoniam hebetabit.

6. Nec desunt in ipsomet fœtu caussæ & modi, quibus latitare possit idem seminarium, sive externam ejus superficiem respicias, sive partes interiores. Exteriùs namq; corpori fœtus adhæret sorditudo quædam crassa, alba, unctuosa, ac pinguis, cui illapsus fortè halitus pestifer, intra corpus tardè admittetur; ut & ori naribusq; idem si involaverit, ob defectum inspirationis sensibilis per pulmonem ac thoracem. Quod ad partes autem interiores, si sanguis & spiritus per vasa umbilicalia in fœtum deductus non pertingit in cordis ventriculus, quippe in quos nec potuerit nec debuerit pervenire, ut censuerunt excellentiss: *I. C. Arantius, Casp. Bauhinus, & Andr. Laurentius*, quorum hodiè in Medicorum scholis plurimùm valet autoritas; aut saltèm parciùs, nec repentè aut simul ad eos pervenit, ut ex Galeno colligit Fabric. ab

Aqua-

Aquapend. lib. de formato fœtu part. 2. cap. 8. halitus pestifer sanguinis spirituumve alicui particulæ inhærens, ne quidem interioribus partibus ad cor semper deducetur illicò, sed alibi extra cor detinebitur interdùm ac delitescet. Insuper halitus pestifer ob naturam quadamtenus homogeneam, ratione tenuitatis ac raritatis spiritui vitali in arteriis sese asociare videtur potiùs, quàm sanguini in venis. Atqui arteriæ spiritum vitalem devehentes, ab ingressu umbilici in corpus fœtus non rectâ sursum tendunt versùs cor, sed deorsum vesicæ urinariæ lateribus attensæ, ad ramos arteriæ aortæ in crura descendentes usq; deferuntur. Hinc igitur demùm velut per ambages spiritus vitalis, eiq; fortè insidens halitus pestifer, è matre in fœtum traductus, intra arteriæ aortæ truncum totâ dorsi longitudine ascendit, & in pulmonem potiùs quàm cor devehitur, adeoq; tardiùs malitiam suam cordi imprimit. In fœtu autem his aliisve modis pestifero seminario vires recolligente & in apertum prorumpente, quinsparsis undiquaq; radiis venenatis, inde in matrem quoq;, cui instar partis alicujus ipse cohæresçit, ut comprobatum est, redundaturum sit ejusdem luis periculum, extra omnem videtur dubitationis aleam versari.

FINIS.

Errata Typographica inter legendum observata.

p. 4. lin. 2. legatur, peribant Hact. Sig. 5. 3. potuerint. 8. in Marg. Octaviani 11. in M. Mindereri 17 10. loc. affect. 27. 29. sub specie. 35. 15. vidisse ait 37. 16. putredini. 45. 21. assvefiat 48. in Marg. accidentariæ 50. 9. Martiano. 64. 29. producetur. 68. 9. affectione 69. 12. nimirum. 71. 21. utendum 75. hanc, ut et. 76. 20. aliquot. 80. 18. Id i- 80. 19. psum. 85. 10. Ad tertium 85. 24. excitetur. 89. 12. læsionem, ad 89. 13. eò ut. 95. 14. pinguedine 101. 18. compellitur. 108. 24. mesaræi. 109. 30. intervallo. 119. 11. postea ab hepate. 120. 26. Regis. 122. 11. perip. 128. 10. humi. 153. 14. detinendam. 154. 6. ipsorum. 156. 24. repositum. 156. 33. quàm. 171. 13. Laurentii. 172. impurius. 174 Ventriculos.

694.
12 Aug 1986

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0191
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728900300/phys_0192
DFG

es gratantur, honores,
mentis & artus opes.
mtus mea vota precesq́;
prospera quæq́ precor.
nultùm Templisq́ Scholisq́
re LYSERE, *tui.*

Gratulabundus F.
Joh. Himmelius D.

---

tus vigilanti pectore cœtum,
o, fusoq́; cruore redemtum!
Patris omnipotentis, & usq́;
tores, semina verbi
ogmata dia tuentes,
criptis, Factisq́; celebrem
rôderum, in tecta vocavit
, falce resectum
omines expectat in horas,
gens Ecclesia Christi,
plexibus esse remotum,
neratur & orat *Iêsum*,
res, atq; fideles
nos salvatq́; beatque,
dulcia turmis.
d atria cœlica tendunt,
a precesq́; decentes
ed eis accommodat aures,
tera cordis, ab ipso
estis Præco salutis,
honoribus amplis
t *pius ille* GERHARDUS,
t Ecclesia gaudet,
ademia lenæ,
edicat dextera Iovæ.
rus amabile nomen
tulat, atq; labores,